



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus Primus. De accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



D. D. E M A N U E L I S  
 G O N Z A L E Z  
 T E L L E Z,  
 C O M M E N T A R I A  
 I N L I B R V M Q V I N T V M  
 D E C R E T A L I U M  
 G R E G O R I I I X.



T I T U L U S P R I M U S.

De accusationibus, inquisitionibus, & denuncia-  
 tionibus.

C A P U T P R I M U M.

<sup>a</sup> Felix Papa,



UOTIES Episcopus super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accu-  
 satores, qui iuste, & Canonicè recipi debeant, legitima in b Synodo suo in tem-  
 pore congregatâ, ab omnibus canonicè audiatur, qui sunt in Provinciis Epif-  
 copis. Quod si legitimi non fuerint accusatores, non fatigetur Episcopus,  
 quia Sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum. Nec  
 illi, qui throni Dei vocantur, pravorum hominum insidiis turbari debent, sed liberè  
 Christo Domino famulari.

N O T Æ.

<sup>a</sup> **FELIX** Ita etiam legitur in prima collectio-  
 ne, sub hoc titulo cap. 1. & ex ipsa epistola Fe-  
 licis II. ad Episcopos in Alexandrina Synodo con-  
 gregatos, citatur textus hic à Carnotensi p. 5. *De-  
 creti*, cap. 279. Buchardo lib. 1. *Decreti*, cap. 169.  
 D. D. Gonzal. in *Decretal.* Tom. V.

& verba in presenti textu relata, extant in eadem  
 Epistola 1. Felicis Papæ II. cap. 17. tom. 1. *Conci-  
 lior. Biniis*, & apud Luitprandum in ejus vita: ex  
 qua restituo litteram hujus textus, ut etiam fecit  
 Anton. August. in *notis ad hunc textum*. Sed licet  
 tot in collectionibus tribuatur textus hic Felicis II.  
 non tamen immeritò de ejus fide dubitavit Baro-  
 nius

A

nium anno 357. num. 153. siquidem temporibus Felicis II. Athanasio in Eremo latitante nullus plane locus, vel ullum tempus opportunum congregandi Synodum potuit esse; unde quomodo poterat Felix ad Episcopos in Synodo congregatos rescribere? Sed ut ad Felicem II. revertamur, sciendum est, Liberio Summo Pontifice in exilium misso à Constantino Imperatore, quia Arrianis subscribere, nec communicare volebat, Romanum Clerum iurejurando promississe, nullum se alium Pontificem admissurum superstitite Liberio: sed postea operâ Arrianorum, ac præcipue Acacii, Cæsareensis Episcopi Felix Diaconus Romanus Pontifex creatus fuit. Rufinus lib. 10. histor. cap. 22. Theodoretus lib. 2. bist. cap. 17. Sozomenus lib. 4. hist. cap. 10. Hieronymus catal. in Acacicio: qui licet Arrianus non esset, liberè tamen cum Arrianis communicabat, ideoque eo tempore nullus Catholicorum cum eo communicabat: sed post biennium cum Liberius per vim & minas Concilio Sinitensi subscripsisset, cum Arrianisque communicasset, atque Athanasium condemnasset, Romanus Clerus abrogatâ Liberio, Pontificiâ dignitate, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat, & ex eo tempore cœpit Felix ut legitimus Pontifex Ecclesiam regere, cum Liberius tanquam hæreticus dejectus esset: sed Felix jam verus Papa agnoscens Ecclesiæ, & fidei periculum, non solum recessit ab Arrianorum communione, verum etiam coactò Concilio declaravit, Imperatorem Constantium, & Episcopos Ursacium, & Valentem, cum quibus Liberius pacem fecerat, verè hæreticos esse, & propter hanc damnationem Constantii, Coræ in Latio obruntatione capitis martyrio coronatus est, ut habetur in Martyrol. Romano, die 29. Julii. Sed cum ejus ingressus iniquus creditus esset, & de ipsius obitu pugnantia scriptorum testimonia reperirentur, temporibus Gregorii XIII. cum de emendatione Martyrologii Romani ageretur, non levis disceptatio fuit, an ex eo expungendus esset Felix, nec ne? Et tunc accidit planè veluti divino miraculo, ut cum in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani in foro ad templum Pacis posita, quidam homines malè consulti, sed non sine divina providentia, clam altare unum à dextris positum suffoderent, ut thesaurum quærerent, quem audierant ibi esse reconditum, in marmoream arcam inciderunt, in cuius altero latere lapideæ tabulæ interstitio ab altero distincto repositæ inventæ fuerunt Reliquiæ Sanctorum Martyrum Marci, atque Marcellini, & Tranquilliani: in altero verò arcæ latere Corpus Sancti Felicis, de quo agimus, unâ cum lapideo laterculo intus posito his literis exarato: *Corpus Sancti Felicis Papa, & Martyris, qui damnavit Constantium.* Refert Baronius dicto anno 357. qui huic præclaro Pontifici rescripsisse Constantium Imperat. in l. 14. Cod. Theodof. de Episc. & Cleric. refert, in cuius Epigraphæ legitur, *Constantius Imperator August. & Iulianus Cæsar Felici Episcopo,* quo tempore adhuc Liberium restitutum non fuisse doctè probat Gothofredus, & Sanctum hunc ab injustis calumniis defendunt Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, c. 9. Theophilus Raynaud. de calumniâ c. 25. fol. 445. Severinus Binius in notis ad eius vitam, Frat. Anton. Perez in Pentat. fidei, de R. P. cap. 3.

b Synodo.) Provinciali videlicet, juxta tradita in cap. 1. de judiciis.

c Legitimi.) Legitimum in jure generaliter dicitur, quidquid est iustum, & legi consonum, quasi secundum legem, aut per legem receptum. l. legitima §. ff. de pactis, cap. legitima, de appellat. lib. 6. l. lege obvenire, ff. de V. Subi Gedeus, Gentilis, & Forner. Undè accusatores legitimi in præsentibus dicuntur omnes illi, qui iustè, & secundum leges ad accusandum idonei proponuntur; ut satis deducitur ex illis verbis hujus textus, ibi: *Si tales fuerunt accusatores, qui iustè & canonicè recipi debeant.*

## COMMENTARIUM.

EX hoc textu loquens communiter deducitur assertio. *Ad petitionem illegitimi accusatoris reus in judicio fatigandus non est.* Probant eam textus in cap. cum P. repellantur, cap. meminimus 13. cap. cum oportet 19. cap. cum dilectus 20. c. accedens, hoc tit. cap. nihil 2. qu. 1. cap. in primis, §. sed 3. quest. 9. cap. dignum 6. quest. 6. cap. si qui sunt 17. cum sequent. 2. quest. 3. cap. qui sub 3. cap. postulasti 6. 3. q. 6. cap. prohibentur 1. quest. 1. cap. constitutus 3. quest. 5. cap. qui crimen 2. q. 2. cap. Canonice, cap. similiter, cum sequent. 3. q. 5. c. cum in tua, de sponsal. cum aliis congestis ab Anton. August. in epit. lib. 30. tit. 4. in quibus docetur, illegitimum accusatorem admittendum in judicio non esse, l. qui accusare, ff. de accusat. l. crimini, l. ignorat, Codic. qui accusare, l. 2. tit. 1. part. 7. Illustrant ultra congestos à Barb. his, Petrus Gregor. lib. 5. partit. tit. 9. cap. 3. & lib. 2. synagm. c. 12. Sorus lib. 5. de iustit. quest. 4. art. 3. Vighel. in method. juris Pont. fol. 33. Simancas de Catholicis lib. 1. cap. 9. num. 39. Frago de regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 5. disp. 12. §. 2. Decianus lib. tertio, tract. de crimin. cap. 3. Anton. Matthæus de crimin. ad tit. de accusat. cap. 3. plures congesti à Carlevallo de judiciis tom. 2. disp. 4. num. 26. Fornerius lib. 1. rer. quotid. cap. 24. & 25.

Sed in hanc assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo: Reus licet ab illegitimo accusatore impetrus, omninò judicio comparere cogitur, saltem ad proponendum, & allegandum privilegium suum; immò etsi non compareat, tanquam contumax puniri valet, cap. veniens 15. hoc tit. l. si eximendus, §. final. ff. ne quis eum qui in jus vocatus, l. si reus, ff. iudicatum solvi, l. ex quacunque 32. ff. si quis in jus vocatus, l. si quis ex aliena §. de judiciis: & interim dum exceptio accusatoris discutitur, debet etiam quæri de vita accusati, cap. querendum 2. quest. 7. Igitur propter illegitimum accusatorem fatigatur accusatus. Accedit, nam etsi illegitimus sit accusator, tamen reo accusato indicanda est purgatio Canonica, ut docetur in cap. veniens, cap. cum P. hoc tit. cap. cum P. de purgatione. Igitur quia fatigatur accusatus, etiam cum illegitimus est accusator. Augetur etiam, nam plerumque quis punitur sine accusatore à Magistratu qui reos inquirat, l. 1. §. quies, ff. de offic. Præf. urb. l. 4. ff. ad leg. Jul. pecul. l. congruit, ff. de offic. Præf. l. 1. c. de custod. reorum. Igitur facilius sine accusatore legitimo,

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens de isto, pro cuius expositione sciendum est, accusare dici quasi causari à causa, cap. forus, §. accusator, de V. S. post Hostiens. notavit Anton. Matthæus ad tit. de accusat. cap. 1. & licè accusare variè accipitur, ut notavi in capite 1. qui matrimonium



accusatorem dici, quia ad causam vocat, id est trahit, seu defert. Accedit lex *qui de crimine* 9, C. hoc tit. ibi: *In accusationem deductus est, l. penult. C. qui accusare*, ibi: *Delator atque accusator & l. indicasse 197. ff. de V. S. ubi Jurisconsultus constituit delictum inter detulisse, & accusasse, ut sub verbo indicasse, primum gradum constituat, qui detulit, secundum, qui arguit; tertium, qui accusavit; ultimum, qui convicit, ut explicat Decianus d. lib. 3. c. 2. num. 4. Nec etiam obstat difficultas expensa ex verbo *criminis*, juncto d. c. 1. s. *distin.* nam differentia inter crimen, & peccatum, non procedit attempto communi usu loquendi, ut ex pluribus iuris probant Nauarrus, & Beronius *ubi supra*, juxta quem loquendi usum, qui verborum proprietati praefertur, c. ex *litteris* 7. ibi: *Ad communem verborum intelligentiam, de sponsalibus, & l. librorum, §. quod autem, ver. nam & ff. deleg. 3. intelligi potest particula criminis*, in dicta definitione: tum etiam quia in d. l. *levia*, dicuntur crimina levia per comparationem ad alia graviora, seu gravia; veruntamen adhuc illa levia, eo ipso, quod crimina sunt, secundum sermonis proprietatem sunt in se gravia peccata. Nec tandem ultima difficultas obstat, quia respondetur fatendo inscriptionem, vel subscriptionem non esse de essentia, aut substantia accusationis, & in aliquibus casibus non requiri; & propterea in dicta definitione, quam probamus, non fit mentio inscriptionis, aut subscriptionis; & loco illius apponitur particula *solemniter*, quae refertur ad omnia solemnia in accusationibus necessaria, quae licet non pertineant ad essentiam accusationis, pertinent tamen ad eius formam, & ordinem, ad constituendam differentiam, per quam accusatio ab inquisitione, & denunciatione distinguitur.*

7.  
De Per-  
sonis,  
que ac-  
cusare  
possunt

De hac igitur accusatione hoc modo accepta, & definita agitur in praesenti titulo; sed cum in qualibet materia prius de personis agendum sit, ideo in hoc textu, & sequentibus, de accusatoribus, & quanam legitimi sint, tractatur: circa quos sciendum est, omnes regulariter legitimos credi accusatores, nisi specialiter accusare prohibeatur legibus. Hincmarus epist. 7. c. 4. *Si quis autem scire desiderat, quales accusatores ac testes ad accusationem Sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus & legibus, quibus una cum sacris Canonibus sancta moderatur Ecclesia, poterit reperire.* Et Hadrianus Papa in c. *placuit* 2. q. 7. ait: *Placuit eorum accusandi sacerdotes, & testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus, quia vocem funestam interdici potius, quam audiri oportet.* Vocem funestam criminoforum dixit Hadrianus, ut etiam Melchias Papa, & Pelagius II. transcripti a Gratiano in c. 2. 3. q. 5. c. 54. 2. q. 7. explicat & illustrat Ant. Augustin. in *notis ad can. 29. Hadriani Papae*. Quare si cognoverimus, quae istae personae sunt, simul agnosceremus caeteras personas, quibus accusandi facultas competit, ut aiebat Marcellus in *l. qui accusare* 8. ff. hoc tit. Faciunt textus in *l. qui accusare*, C. hoc tit. l. c. *prohibetur* 2. q. 1. & ita dictum hoc est prohibitorium, ut docuerunt Jul. Clarus *lib. 5. sentent. q. 14. §. final. n. 1.* Decianus *lib. 3. tract. crimin. c. 6.* Duarenus *ad tit. de accusat. c. 3.* Ant. Gomez *lib. 3. variar. cap. 1. n. 31.* Et primo propter sexum accusare prohibentur feminae, c. *prohibetur* 2. q. 1. c. de *crimine* 15. q. 3. d. l. 8. d. l. *qui accusare*, l. 5. ad leg. Fab. C. nisi suam, suorumve injuriam prosequantur, id est eorum, in quos ex lege testimonium invite non dicitur, l. 1. & 2. ff. hoc tit. l. 4. 5. 9. & 14. C. *qui accu-*

*sare*, l. *et si* 19. C. ad leg. *Corn. de falsis*, l. 4. l. 12. *vers. nisi certus*, C. *qui accusare*. Audiuntur etiam in crimine laeae Majestatis, l. in *questionibus* 8. ff. ad leg. *Jul. Majest.* ubi pro *judicium*, legendum esse *indictum*, probat Gothofredus in l. 3. *Cod. Theodos.* hoc tit. c. *sanè*, §. unde 15. q. 3. *annonae fraudatae*, l. *multe* rem 13. ff. hoc tit. l. *final. §. final. ff. ad leg. Jul. de annon. suspecti tutoris* l. 1. §. *consequens*, ff. de *suspecti* tutor heresis, sacrolegii, & simoniae, quia haec delicta in pluribus aequiparantur laeae majestati, l. 4. C. de *heret. l. si quis in hoc* 10. l. *si quemquam* 31. C. de *Episc. & Cleric.* Et licet ad crimen falsi hoc extendat Decianus *lib. 3. tract. crimin. cap. 7. n. 18.* rectius tamen contrarium probat Ant. Mathaeus *ad tit. de accusat. cap. 1. num. 2.* Secundo propter aetatem ab accusatione accentur pupilli, adeo ut nec populum actionem intendere possint, d. l. *qui accusare*, l. *mulieri, & pupillo*, ff. de *popul. action. nisi suam*, vel suorum injuriam prosequantur, l. 2. l. 8. l. 11. ff. hoc tit. *can. 6. Synodus C. P. ibi: Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda* Fornerius *lib. 4. rer. quorid. c. 5.* Unde apud Apuleium in *apolog.* Licinius Vitricum Apuleium capitali judicio accusavit, id est magicarum artium, & maleficiorum, propter matrem suam quam Apuleius magicis artibus ad sui maleficia pellexisse assererat, ut exponit Gentil. *ad ipsam apolog. num. 39.* Etiam possunt pupilli de testamento Patris adulterato, & de vitio instrumenti accusationem instituire, l. 2. §. 1. l. 8. ff. hoc tit. l. 5. C. *qui accusare*. In laeae etiam Majestatis divinae, & humanae accusatione pupillos admitti; non male docet Anton Mathaeus; siquidem alii, qui jus accusandi non habent, eo casu audiuntur, l. *famos* 7. *in questionibus*, ff. ad leg. *Jul. Majest.* Et licet his casibus, quibus permixtum est pupillis accusare, consilium tamen tutoris intervenire debere innu videatur in *l. ibi tamen* 11. ff. hoc tit. *apud Paulum lib. 5. sentent. tit. 12.* verius tamen est eo verbo auctoritatem simul intelligi, ex l. 4. C. de *auctor. praestand.* Quoad puberes, minores videlicet 25. annis, attinet, lex Julia de adultis specialiter eis vetat illius delicti accusationem, unde à contrario deducitur, in aliis admittendos esse, l. *si maritus* 15. §. *lex Julia*, ff. ad leg. *Jul. de adult.* immò & minorem accusare posse, si 17. annos habeat, & curatorum in judicio, probatur ex l. 1. ff. de *postul. l. 4. C. de auctor. praestand.* Et licet in accusatore eisdem 20. annos, qui in teste desiderantur ad testimonium perhibendum in causa criminali, ex l. *in testimonium* 20. ff. de *testibus*, petant Decianus *lib. 3. tract. crim. c. 12.* Jul. Clarus *lib. 5. sentent. §. final. quast. 14. num. 7.* Farinac. in *praxi, quast. 12. num. 15.* merito tamen contrarium tenuit Ant. Mathaeus *ubi supra*, quia non ut ex fide testis, ita ex fide accusatoris salus rei pender.

Ob conditionem suam accusare non possunt sveri, c. *canonica, vers. Ant. liberos, cap. accusatores*, *Ref. §. final. cap. nullus* 3. *quast. 5. l. 26. Cod. ad leg. Jul. de adul.* nisi in criminibus laeae Majestatis divinae aut humanae, fraudatae annonae, falsae monetae, fraudati census, in quibus servi etiam contra Dominos audiuntur, l. *vix certis* 53. ff. de *judiciis*, l. 7. §. *servi*, ff. ad leg. *Jul. majest.* Licet etiam servo deferre interfectorem domini sui, l. 1. *Cod. de precibus Imper.* & dominum accusare de suppressis tabulis, in quibus liber esse justus erat, *dist. l. vix*, 53. l. 7. ff. ad leg. *Corn. de fals.* Sed hoc emendatum credit Anton. Mathaeus *dist. cap. 1. numero 4. in l. penult. Codic. qui accusare*, ubi tantum in crimine

mine læta Majestatis servos audiri contra dominos, Arcadius, & Honorius sanxerunt, licet in l. unic. Cod. Theodos. ne propter crimina serui, ubi ea constitutio reperitur, delit taxativa tantum, circa filios existentes in sacris paternis; licet enim legitimam personam habeant standi in iudicio, l. non 44. §. 1. l. licet 56. ff. de iudicis, l. 6. & 7. Cod. eod. titul. verius tamen est, nisi consentiente patre accusare non posse, l. sed natus 17 §. filio, ff. de iniuriis, excepto adulterii crimine propter vindictam proprii doloris, l. inter 6. §. penult. l. filium 37. ff. ad l. lul. de adult. Etiam propter sacramentum in ingressu militiae praestitum accusare non possunt milites, ne occasione hac discedant a castris, nisi suam, vel suorum injuriam persequantur, aut ia criminibus legis Juliae Majestatis, fraudatae anno-nae, l. 3. §. si tamen 11. ff. hoc titulo, l. & si crimen, Cod. qui accusare, l. famosi 7. §. 1. ff. ad leg. lul. Majest. Ad veteranos extra castra degentes hæc prohibitio non extenditur, quia non militant, etsi delatores esse prohibeantur, l. de ferro 18. §. veteranis, ff. de iure fisci. Decianus lib. 3. tract. crim. cap. 16. Etiam Magistratus illi, qui Imperium exercent, accusare non possunt, quia & ipsi ratione officii accusare nequeunt, dict. c. prohibetur, dict. l. 8. ff. hoc titulo, nisi Magistratus minor sit, qui Imperium non obtinet, qui & accusare, & accusari valet, l. nec Magistratibus 32. ff. de iniuriis. Propter crimen plures accusare nequeunt, veluti Hæretici, Pagani, cialium, cum sequentibus, c. 1. & 2. cap. suspectos, cap. canonica; cap. nullus 4. quest. 1. incestuosi, cap. consanguineum 3. quest. 4. sortilegi, seu magi, cap. final. 2. quest. 8. cap. constitutus 3. quest. 5. aut simili graviori crimine impliciti, cap. cum dilecti, hoc titulo, cap. supersunt, cap. querendum 2. quest. 7. quia iniquum est rationem vitæ ab alio reposcere, qui non possit suæ reddere. Eleganter Cicero de divinatione, ibi: Nulla salus Reipublica major est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos qui accusantur, de capite, ac fortunis perimescere. Itaque semper ij diligentissimè, laboriosissimèque accusarunt, qui se ipsos in discrimen estimationis venire arbitrati sunt: idèd accusare nequeunt, qui in reatu sunt, donec absoluti fuerint, vel condemnati; salvâ tamen civitate, & estimatione, l. 4. ff. hoc titulo, l. neganda, Cod. qui accusare, l. 5. ff. de public. iudic. nam infames infamia juris omninò ab accusando accentur l. 4. & 8. ff. hoc titulo, l. crimini 15. Cod. qui accusare, l. 1. §. quorum, ff. ad Turpil. l. ob hac 20. ff. de his qui notant infamia. Decianus lib. 2. tract. crimin. cap. 17. & 24. Ob paupertatem accusare nequeunt qui minus, quàm 50. aureos in bonis habent, l. nonnulli 10. ff. hoc titulo, quæ exstat in cap. prohibetur, §. nonnulli 2. quest. 1. cap. in primis, §. sed de personis, ead. quest. Decianus dict. lib. 3. cap. 22. num. 19. Jul. Clarus dict. §. final. quest. 14. num. 20. Farinac. quest. 14. num. 48. & meritò, cum credantur præmii dumtaxat causâ ad accusationem accedere, eandemque ad divitias assequendas viam affecturos, quâ Hispo grassatus est, de quo Tacitus lib. 1. annual. ibi: Formam vite inuit, quam postea celebrem miseria temporum, & audacia hominum fecerunt; nam egens, ignotus, iniquus, dum oculis libellis savitie Principis adrepti, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod sequenti, ex pauperibus divites, ex contemptis meuen-di, perniciem aliis, ac postremum sibi invenere.

D. D. Gonzal in Decretal. Tom. V.

Denique idcirco pauper, etsi probus videatur, ad accusandum non admittitur, quoniam talio est calumnia pœna, l. non prius 7. l. ultim. ff. de calumn. & eam pauper pati non potest, qui bona non habet, etsi infami litterâ deterreri possit, ut ajebar Plinius in Panegy. relatus ab Ant. Matthæo dist. cap. 1. num. 10. Indè quia quæstus gratiâ accusat, non auditur, cap. significante 5. qui matrimonia accusare. Etiam non admittitur ad accusandum, qui in duos reos eodem tempore jam inscripsit, etsi diverforum criminum; nam quo minus successivè plures reos quis faciat, aut eisdem criminis plures quis eodem tempore accuset, jus non impedit, dict. l. 8. ff. hoc titulo, l. cum rationibus 16. Cod. qui accusare, l. 2. Codice, si reus. Nec contrarium probatur in l. hos accusare 12. §. lege, ff. hoc titulo, nam ibi pro duobus, legendum esse tribus, jam notavit Cuiac. lib. 6. obs. cap. 12. Item accusare non possunt inimici, ut dicemus infra in cap. meminimus. Tandem sunt alii, qui accusare possunt, sed non omnes; nam liberti, alumni, & familiares personæ non possunt accusare parentes, patronos, vel suos, quia civiliter de eis tantum queri debent sui patrimonii defendendi causâ, l. 8. §. ultim. l. 11. §. 1. ff. hoc titulo, l. iniquum 17. §. penult. Cod. qui accusare, l. 9. Codice ad leg. Cornel. de falsis, l. 2. & 5. Cod. ad leg. Cornel. de falsis. Indè inferiori superiori, vel minor majorem accusare non potest, cap. qualis, §. final. cap. sequenti. c. majorem, c. querendum, cap. in sancta 2. quest. 7. exponit Vigel. in method. juris can. lib. 1. cap. 6. fol. 35. etiam ob cognationem frater adversus fratrem non auditur in criminibus gravioribus, l. si magnum 12. l. si sororem 18. Cod. qui accusare: reliquorum cognatorum nulla habetur ratio. Nec contrarium probat textus in l. tutor 9. ff. de suspect. tutor. non enim ibi prohibetur cognatos, & affines accusare, si aliquod gravius delictum admiserint; sed vetatur cum nota, & infamia eos removere, si quid levius admiserint, ita ut suspiciones magis, & mores, quàm crimina suspectos fecerint. Prosequuntur alias personas, quæ accusare nequeunt, Lancellorus & Conradus in praxi crimin. titulo, de accusat. num. 9. Jul. Clarus dicto §. final. quest. 14. per totam, ubi lætè Baiardus, Farin. & Decianus ubi supra.

His suppositis apparet ratio præsentis textus; nam cum illegitimi accusatores in iudicio ad accusandum non admittantur, ad eorum petitionem non debet fatigari, aut molestari accusatus, immò potius acculator repellitur à iudicio, & ipse accusatus absolvitur à iudicii instantia; sicut enim Reipublicæ interest delicta detegi, in iudiciumque deduci ad publicam vindictam, ne ipsa maneant impunita, cap. si omnia 6. quest. 1. l. illud, ff. ad leg. Aquil. ita etiam illi expedit ne ab omnibus proposita accusatione fatigetur accusatus, alioquin eveniet sæpè sæpius privato odio innocentes iniquâ accusatione fatigari, & aliquando nocentes pœnam evadere prævaricatione, seu tergiversatione adversarii, juxta textum in cap. si qui 2. quest. 4. contingeretque criminis ireum accusare criminiosum, vitam alienam arguendo, qui propriam emendare volebat, cum ille qui trabem gestat in oculo, festucam de oculo fratris erueret non possit, ut Christus Dominus ajebar apud S. Lucam cap. sexti. relatus in cap. si crimen 6. quest. 1. Undè in criminali iudicio prius agendum esse de legitimatione accusatoris, docetur in cap. in primis 2. quest. 1. l. si queramus ff. de testam. Meritò

Traditur dicitur ratio.

ergo Felix II. in præfenti docet, fatigandum non esse accusatum, si legitimus non sit accusator. Et licet Felix tantum agat de Episcopo accusato, accipiendus tamen est juxta generalem litteram, quæ reperitur in hac sexta collectione, de quocunque accusato, & quocunq; accusatore, in Judicio publico, sive privato, quia in quocunq; judicio criminali legitimus esse debet accusator. Quo verò tempore legitimum debet persona accusatoris, exponit Carleual. tom. 2. de judic. titul. 1. disputatione 4.

10.  
Dissol-  
vitur  
dubitan-  
di ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, pro cuius solutione discrimen constituendum est inter eum casum, in quo notorium est, seu Judici constat, vel ex libello, seu forma accusationis, accusatorem illegitimum esse; & inter eum casum, in quo illegitimitas accusatoris ante citationem Judici notoria non erat, sed postea apparuit. Primo casu ad petitionem illegitimi accusatoris fatigari reus minimè debet, nec in judicio cogitur comparere, cap. placuit, §. liberi 4. quest. 3. cap. si Episcopus 8. 3. quest. 1. cap. bona 36. in fin. de elect. quoniam tunc Judex ex officio suo illegitimum accusatorem à judicio repellere debet, licet reus de ejus illegitimitate non excipiat; quia etsi Judex officium suum impartiri non debeat propter privatam commodum, cap. ad nostram, de jurejur. l. 4. §. hoc autem, de damno infect. tamen hoc in casu ex officio proprio accusatorem à Judicio repellit, quia hæc illegitimitatis exceptio non solum respicit privatam commodum, sed honorem judicii, & publicam utilitatem, argumento textus in cap. si quisant, cap. quarendum 2. quest. 7. cap. 1. cap. exceptionem, de except. l. ulim. ff. de pet. hered. notat Glossa verbo Repellere, in cap. nulli, hoc titul. Socinus hic, num. 17. Butrius num. 11. qui hoc casu accipiunt præsentem Felicis sententiam. Secundo verò casu, quando Judici accusatorem illegitimum esse constat, reus ab eo impeditus comparere tenetur; & si non compareat, ut contumax puniri potest; & si postea appareat accusatorem illegitimum esse in prosecutione judicii, reus absolvitur, nec fatigatur. Quo casu procedit textus in dict. cap. veniens, hoc titul. in cuius specie Episcopus accusatus comparere jubetur ad purgandam contumaciam; quia licet illegitimus esset accusator, hoc tamen Pontifici non constabat ante citationem, sed postea apparuit; ideoque comparare debebat Episcopus, saltem exceptionem illegitimitatis allegaturus, ne Pontificis auctoritas illud videretur, contra textus in l. ex quocunque, ff. de in jus vocand. l. 5. ff. de judiciis: quo modo exponit textus in cap. si duobus, cap. cum parati, de appel. Socinus in dict. cap. veniens, num. 11. Ex qua doctrina deducitur, quod si reus fuerit citatus ad petitionem illegitimi accusatoris, de cuius illegitimitate Judici ante actionem non constiterat, & ipse exceptionem illegitimitatis non opposuit, iudicium valet, l. qui accusare, l. hos accusare, ff. hoc titul. Docent Butrius hic num. 5. Bartol. in l. 1. §. accusatoris, ff. ad Turpil. Et similiter si cum accusationem instituit, legitimus, & idoneus erat, sed post causam inchoatam, in ipsius prosecutione illegitimus reddatur, propter supervenientem illegitimitatē à judicio repelli non debet, quia licet accusationem de novo proponere non possit, tamen prosequi eam rectè valet, l. si quis reus, ff. de public. judic. ubi condemnatus, & etiam deportatus, prosequitur iudicium inchoatum, quod propter bonum publicum, & judiciariam auctoritatem procedit, l. si quis, ff. ad leg. Tul. de adult.

Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum ex dict. c. cum P. cui respondendum est, non posse reum ad petitionem illegitimi accusatoris fatigari, adeo ut reo accusato purgatio canonica indicenda non sit, propter infamiam insurgentem ex calumniosa, & minus solemnī accusatione, ut probat textus in cap. qualiter, el. 2. hoc titul. cap. cum insinante, de presump. cap. cum in juventute, de purgat. canonic. cap. auditum 2. quest. 6. cap. in cunctis 11. qu. 3. in quibus purgare se reus non debet ab infamia criminis, quæ originem habuit ab inimicis, & illegitimis accusatoribus, ut docent Hostiensis in dict. cap. veniens, numero quinto Morla in emp. tit. de jurisd. num. 111. quia quando infamia non nascitur ex probabilibus conjecturis, quoad juris effectum infamia non dicitur, sed tantum sunt vanæ populi voces, de quibus curandum non est, cap. Ofius 2. de elect. l. Decurionum, Cod. de pœnis. Nec contrarium probat textus in d. c. cum P. cap. veniens, quia in eorum specie ad instantiam illegitimi accusatoris non injungitur purgatio propter infamiam à tali accusatione proveniente, sed propter publicam infamiam, quæ reus notatus erat ante accusationem, ob quam indicta fuit purgatio, ut docet Morla ubi supra, num. 111.

Nec obstat ultimum augmentum difficultatis, pro cuius solutione sciendum est, dubium esse apud Interpretes, an aliquis sine accusatore damnari possit. In qua quæstione communem opinionem sequutus negat Carthusius lib. singul. epistol. 99. pro qua sententia faciunt textus in l. 6. §. rescripto. & §. si quis accusatorem, ff. de mun. & honor. ubi docetur eum, qui non habet accusatorem, honoribus interim non esse prohibendum. Marcus Tul. in oratione pro Roscio Alerino, ubi ait, nocentem, nisi fuerit accusatus, damnari non posse Et lib. 2. de officiis, omne iudicium accusatione, & defensione constare scribit. Suffragantur DD. qui in omni iudicio has personas necessarias esse tradiderunt, accusatorem, reum, & iudicem, cap. forum 10. de V. S. cap. 1. 4. quest. 4. & accusatorem in primis requiri, constat ex D. Ambrosio epist. ad Syagrum, ibi: Si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt. Ex Marci rescripto de Auidio Cassio apud Vulcicum Gallianum, ibi: Adde quod non possumus reum facere, quem nullus accusat. Hinc Christus Dominus, cuius omnis actio est instructio, Judam, etsi furem esse compertum haberet, non abiecit, eo quod à nullo esset accusatus, ut expendebat D. Ambrosius in cap. si quis possessionem, 23. quest. 4. & cum adulteram mulierem deprehensam nemo accuseret, dixit: Nec ego te condemno, apud Joannem cap. 8. Eoque pertinet quod in actis Apostolorum legitimus, Romanis morem non esse hominem illum ad necem condemnare prius, quam reus præsentem tenuit Duarenus lib. 1. disput. cap. 38. Sed placet in hac Doctorum varietate media sententia, quam sequitur Fornerius lib. 1. rer. quotid. cap. 24. qui ait; neminem sine accusatore esse damnandum, vel eo qui accusatoris vice fungatur, veluti denunciatio, delatio, publica fama: quandoque enim privati, quandoque ex officio, ut stationarii, curiosi, vel similes, crimina notoria deserunt, ut post ejusmodi denunciationem Judex contra reum delatum in crimen inquiret, d. l. 6. §. nunciatores, ff. ad Turpil. l. ea quidem, C. de accusat. l. 1. C. de curiosis, lib. 12. Quo casu nuntiator loco accusatoris est, ut de publica fama probabimus infra in cap. evidentiæ:

11.  
Dissol-  
vitur  
ultimū  
augmentum  
difficultatis.

*evidentia*: & hoc sensu legimus Claudium Gorgum lenocinii absque accusatore damnatum, l. 1. §. unde *quari*, ff. ad leg. tul. de adul. & Julium Casarem capitali supplicio affecisse libertum, alioqui sibi gratissimum (quamvis nullo accusante) eo quod Etruscum Romani uxorem adulterasset, apud Suetonium in *lul. cap. 48*. Unde intelligitur lex 1. C. de *castod. reor.* in illis verbis: *Sive accusator existat, sive eum publicæ sollicitudinis cura produxerit. Ubi per publicæ sollicitudinis curam intelliguntur officiales, stationarii, milites, seu hirenarchæ, de quibus Tertul. in apolog. ait: Latronibus investigandis per universas provincias militaris statio sortitur. Duraenus lib. 1. disp. cap. 38. Revardus lib. 4. variar. cap. 11. Fornerius ubi supra.*

12. Exponitur cap. nulli 5. hoc tituli.  
Sed supra traditæ assertioni primò obstat textus in cap. nulli 4. hoc tituli. ubi cum quidam familiares cuiusdam Episcopi ipsum de quodam crimine accusarent, ipse exceptionem illegitimitatis opposuit, asserens eos criminosos esse, malæ famæ, & vilis opinionis: cumque quæreretur, an accusatores essent audiendi, respondit Paschalis, non licere Episcopo à sua accusatione repellere, quos à sua communi familiaritate neglexit separare, antequam ipsam accusarent. Ex quo textu deducitur, criminosos ad accusandum Episcopum admitti, nec etiam oppositâ criminis exceptione eos repelli: igitur etiam si illegitimus sit accusator, reus vexatur. Agnovit difficultatem Glossa in eo textu, & eam solvere intendit duplici modo. Primò asserit, criminosos accusatores in huius textus specie admissos fuisse, quia Episcopus de exceptis criminibus publicè infamatus erat, in quibus illegitimi etiam, & minus idonei accusatores admittuntur, cap. per rnas, de simonia, supra probavi. Quam Glossæ sententiam plures tenuisse asserit Hostiensis *ibi num. 3*. Sed

quia hæc solutio verbis textus non congruit, siquidem in eo non agitur de criminibus exceptis, idè ab ea recedit Glossa, & veriùs docet, quod licet criminosi legitimi accusatores non sint, juxta supra tradita; tamen cum Episcopus accusatur à suis familiaribus, non potest eos ut criminosos repellere, cum priùs deberet eos à sua familiaritate abjicere, aliàs non creditur homines malæ famæ, & vilis opinionis in sua familiaritate retinuisse, ut in eo textu dicemus.

Secundo supra traditis obstat textus in l. 3. §. *prætere*, ff. de suspect. tutor. in illis verbis: *Prætere videndum est, an & sine accusatore possit suspectus repelli? Et magis est, ut repellat debeat.* Ex quibus aperte constat, posse quem sine accusatore damnari: ergò multò faciliùs cum illegitimo accusatore. Nec dici potest, in eo textu iudicem per inquisitionem processisse; quia ad utilitatem privatam officio suo iudex crimen inquirere non potest, ut ibi notavit Gothofredus. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, quod licet regulariter nemo damnatur sine accusatore, tamen jure singulari receptum est, quod si Prætori liqueat argumentis evidentissimis turem suspectum esse, & malè versari in tutela, vel cura, eum removeere possit, quod specialiter inductum fuit pupillorum favore, & ob publicam utilitatem, quoniam negotia pupillaria pertinent ad publicam curam, l. 10. §. *ult. ff. de testam. tutel. l. 1. ff. de excus. tut. l. 2. ff. qui petant tutor. l. 2. §. tractari*, ff. ad Tertul. l. 19. C. *Theod. de curat.* ut expressè docetur in d. §. *prætere*, & notavit Cujac. *ad tit. C. de suspect. tutor.*

Etiam præsentî assertioni opponi potest textus in c. *quàm gravi, de excessibus Prælat.* cujus interpretationem dedi in c. 2. de confess. c. *Porro, de divorciis*: & ejus interpretationem in ejus notis adduxi.

13. Exponitur l. 3. §. prætere ass. de suspect. tutor.

## CAPUT II.

a Felix,

**H**Æc sunt quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & in ecclesiasticos sæviunt viros indifferenter, conservari firmissimè volumus in sæcula. Si quis Episcopus ab illis b accusatoribus, qui c recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis a charitative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad Summos Primates causa ejus canonicè deferatur, qui in congruo loco intra ipsam provinciam, tempore congruo, id est, autumnali, vel æstivo, Concilium regulariter convocare debent, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ Episcopis inibi audiatur. Quò & ipse regulariter convocatus, si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debet, quia ultra provinciæ terminos accusandi antè licentia non est, quàm audientia f rogetur.

## NOTÆ.

1. a **Felix.** ] Ita legitur in prima collectione, sub hoc *titul. cap. 8* in hac autem sexta collectione legitur *idem*, quasi idem auctor sit huius textus, & antecedentis: sed Felicem II. auctorem esse illius textus, jam probavi; præsentem verò textum esse Felicis I. constat ex ejus epistola 2. quæ extat *rom. 2. Concilior.* ex qua transcripsi litteram huius textus, etiam neglectâ temporum ferie. Concilium utrumque caput ejusdem Felicis esse arbitrat. Burchardus *lib. 1. Decreti, cap. 169. & 174.* Carnotensis *lib. 5. Decreti, cap. 271. & 292.* ex Felice illum citant. Etiam reperitur textus hic in col-

lectione canonum Hadriani notis illustrata ab Ant. Augustino *rom. 1. Concilior. Bini, & 18. Regiæ editionis, can. 5.* Hujus thematis sententia refertur tum ab Athanasio, & Alex. Synodo, tum ab eodem Felice minore *cap. 2. & 3. epist. 1. ad eundem Athanasium*, qui testis est, hoc etiam fuisse sumptum ex Nicæna Synodo: sed ante eam Synodum eadem fuit sententia tam primi Felicis, quàm Stephani *epist. 2.* & postea reperitur in *addir. capit. lib. 7. cap. 143.* Felix primus electus fuit ultimo die anni 172. & martyrio coronatus die 30. Maii. anno 275. ut post Baronium in eo anno, & in Martyrol. die 30. referunt Binius *d. rom. 1. Concil. Ciaconius rom. 1. de vit Pontific. Carolus & sancto*



sancto Paulo in Biblioth. Pontific. littera F.

2. b *Accusatoribus* ] Glossa, Abbas, & repetentes in presenti anxie querunt, quomodo plures accusatores admittantur in hoc casu, cum non possint plures unum simul accusare, quando agitur ad publicam vindictam, *l. si plures* 16. ff. hoc tit. l. 2. in fine, l. 29. §. penult. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 4. C. hoc tit. l. 3. in princip. & §. si ad plures, ff. de sepul. br. violat. l. 13. tit. 1. part. 7. late docent Ant. Matthæus ad tit. de accusat. cap. 2. Ant. Gomez lib. 3. variar. c. 1. num. 35. Jul. Clarus §. ult. quæst. 13. num. 1. Decianus lib. 3. tract. crimin. c. 32. à princip. ex quibus sunt qui affirmant, principium hoc procedere tantum in accusatione, non verò in denunciatione, de qua in presenti agitur. Sed hanc solutionem rejiciunt Abbas hic, num. 2. Felinus nu. 1. quia ratio, quâ nititur Consultus in d. l. si plures, æquè viget in denunciatione, ac in accusatione, nec in hac parte inter eas ullum datur discrimen. Quare cā solutione omisā, communiter placuit Felicem in presenti agere de pluribus accusatoribus; non quia plures simul admitti debeant, juxta textum proximè adductos, sed quia si fuerint admissi, & accusatus non opponat, processus sustinetur. Ita docuerunt Glossa 1. per textum ibi, in d. l. 4. C. hoc tit. Abbas, & alii repetentes in presenti. Ant. Gomez, & Jul. Clarus ubi supra. Verum hæc interpretatio admitti nequit, quia credi non potest, sanctum Felicem agere de pluribus accusatoribus, qui attentio jure communi admitti non possunt, etiam si iidem admissis processus sustineatur parte non opponente. Alii discrimen constituunt inter eum casum, in quo plures aliquem accusare volunt ad vindictam tantum publicam, nullum interesse ex accusatione capientes, nec suam, suorumve injuriam prosequentes; & inter eum casum, in quo pro suo interesse ad accusandum procedunt; quando enim nullius accusantium interesse versatur, ex accusatoribus unus eligitur, quis sit magis idoneus, d. l. si plures, cum similibus. Secundo verò casu quando omnium accusantium interesse versatur, omnes admitti debent, cap. olim, hoc tit. l. 3. §. si plures, ff. de sepulchro violato: docent Salicetus in d. l. 4. Cod. hoc tit. Anania in cap. 1. num. 3. de collus. de reg. Jul. Clarus d. §. final. Greg. Lopez in d. l. 3. part. 11. quo casu accipiunt presentem textum; nam cum subditi Episcopum suum de criminibus deferunt, post admonitionem causam suam prosequuntur, & pro suo interesse Episcopi crimina coram legitimo iudice deferunt; nam cujuslibet eorum interest bonum habere Prælatum bonis moribus præditum; unde merito omnes accusatores admitti fuerunt. Sed veriùs dicendum est, in presenti textu Pontificem non agere de uno, vel pluribus accusatoribus unius delicti, vel Episcopi; sed tantum regulam generalem tradere servandam in accusationibus Episcoporum; unde supponit Pontifex, eos tantum admittendos esse, qui de jure possint admitti; siquidem signanter ait, *qui recipiendi sunt*. Per quæ posteriora verba non tantum explicantur, verum etiam restringuntur præcedentia, quæ de pluribus agunt, ita ut non comprehendant omnes cujuscunque qualitatatis, sed illos, qui recipiendi sunt, & ita legitimos, juxta tradita superiori commentario: & deinde non semper, nec indistinctè admittantur omnes in quibuscunque casibus, sed illi, qui in iisdem recipiendi sunt, id est in casibus, in quibus iure possunt recipi, pro ut contingit ubi plures non de uno, sed de pluribus criminibus aliquem accusant, ut innuit Pontifex in illis verbis:

*causa ejus ad Primates canonicè deferatur*; significans non unam, sed plures causas criminum contra Episcopum proponi, veluti plures ratione unius officii, veluti tutoris; vel unum representantes, cap. licet, cap. penult. hoc eodem titulo; pro suo commodo, & in causam propriam, veluti coheredes, aut contortes ejusdem litis: vel ratione injuriæ communis, plures unum de unico crimine accusantes, juxta tradita per Bartolum in d. l. si plures; vel cum plures inter se ita conveniunt, quo casu etiam in judiciis publicis plures admittendos esse docuerunt Duarenus lib. 1. disp. cap. 39. Ant. Matthæus ad tit. de accusat. cap. 2. unde Felix in presenti generalem tradit doctrinam servandam in accusatione Episcoporum, juxta principia juris, non quia specialiter consultus fuisset de Episcopo à pluribus accusato.

c *Qui recipiendi sunt* ] Id est non criminosi, & infames, ut postea exposuit in eadem epistola Pontifex in cap. infamis persona 3. quæst. 7. cap. si accusatorum 3. quæst. 10. & alii similes. Nec obstat textus in cap. oves 2. quæst. 7. ubi docetur, quod subditi Prælatum suum accusare non possunt, nisi à recta fide deviaerint: ergo in presenti textu non rectè supponit Felix, Episcopum à propriis subditis fuisse accusatum. Augetur hæc difficultas ex cap. clericus, ead. g. ubi aperte docetur, sacerdotem adversus Episcopum nec accusationem interponere, nec testimonium proferre posse; quod latius probant Baronius anno 112. no. & 199. n. 6. Turrianus lib. 3. pro canon. c. 12. & 13. Pro cujus difficultatis solutione discrimen est constituendum inter subditos bonos, & criminosos; & inter accusationem ex affectu fraternæ charitatis propositam, & inter eam, quam pravo, & maligno animo proponunt. Primo casu prohibentur criminosi, & etiam illi, qui malo affectu, non ex charitate, sed ex pravitate vitam superiorum infamare; & reprehendere intendunt. Unde Evaristus in cap. si quis sine 17. 2. quæst. 7. prohibet ne opinione indiscussa audiantur accusatores Episcoporum. Illustrat Ant. Augustin. in notis ad can. Hadriani V. Concilior. fol. 569. secundo verò casu Episcopi ab honestis, & probis subditis ex affectu charitatis accusari valent, unde D. Augustin. ait in cap. presumunt 2. quæst. 7. Presumunt Prælatus non debere se reprehendi, vel accusari pro eo, quod canones passim non constituerunt eos accusandos, quod tantum negatur solis criminosis, cum de se reprehendendo Veritas ipsa testetur: Si male locutus sum, perhibe testimonium de malo. Facit Damianus P. in quadam epistola ad Alex. Pap. *Quis est hic arrogantia tumor, quis elationis fastus, ut quod insolenter excessum est, a suis subditis dedignantur audire? Nec his allegationibus utendum est, ut dicant, se non debere ab his accusari, ne videantur suis excessibus velamen obtendere.* Et in c. querendum, ead. 2. g. 7. dicitur, quod qui non sunt rectæ fidei, & conversationis, & quorum vita est accusabilis, non possunt majores natu accusare; & hoc casu intelligendi sunt textus in d. c. oves. c. qualis, c. majorum, c. sententia 2. g. 7. in quibus prohiberi videtur talis accusatio: verò subditi probi, & aliàs ad accusandum idonei, possunt suos Prælatos accusare, ut probat textus sic intelligendus in c. sicut 46. 2. g. 7. & hoc casu procedit præfens textus, ubi statuit Felix Episcopum, non à quibuslibet posse accusari, sed ab illis tantum, qui recipiendi sunt; hoc est, à subditis probis, & honestis, & ex affectu charitatis accusationem proponentibus. Nec hæc solutioni obstat textus in d. cap. oves, in illis verbis: *Nisi a si de exorbitaverit.* Ex quibus deducitur, sacris canonibus

nonibus esse definitum, & præscriptum casum in quo subditi possunt accusare suos Prælatos: igitur in nullo alio casu Prælati accusatio subditi est permittenda: nam huic difficultati facile ex se ratiō dicitur respondetur; ea enim verba sic intelligi debent, quod subditi, criminosi, & infames Pastorem suum accusare non possunt, nisi à fide exorbitaverit: ceterum si à fide discesserit, tanta est huius criminis labe, ut etiam criminosi ad ejus accusationem admittantur, *cap. in fidei favorem, de hæret. in 6. docuit Turriseremata in dict. cap. or es, num. 2. & 3. nec etiam obstat textus in d. cap. clericum, cui omnia Glossæ duplici solutione ibi, verbo Laicus, respondendum est, textum illum procedere in clericis in minori gradu constitutis, qui majorum crimina deferunt, non gratiā correctionis, sed ex pravo animo: qui merito ab accusatione repelluntur, cum non ex affectu charitatis profiliant, ut ibi notavit Turriseremata.*

*d Charitative conventus.]* Id est monitus, ut post Glossam exponunt omnes repetentes in presenti. Sed tunc obstat, quod Felix in præteriti agit de accusatione, ut constat ex illis verbis, *accusatoribus, & accusatus*: at in accusatione nulla requiritur monitio charitativa, *c. veniens, c. licet, hoc tit. ubi* quia monitio tantum desideratur ad denunciationem evangelicam, que ad poenitentiam, & emendationem dirigitur, juxta caput novum, *de judicis*: probatur in *c. qualiter 24. in fine*, ibi: *Denunciationem charitativa monitio, hoc tit.* In accusatione vero, per quam ad vindictam publicam agitur, à qua reus per poenitentiam, & emendationem non liberatur, *l. qui ea 67. vers. nemo, ff. de furtis*, ea monitio non est necessaria, nec effectum habere potest, ut satis colligitur *ex d. c. qualiter*, ad finem, ubi constituitur differentia inter denunciationem, in qua monitio charitativa desideratur, & accusationem, in qua non monitio, sed inscriptio requiritur. Quam difficultatem ut effugiant omnes repetentes hic, præsentem textum accipiunt non de accusatione, sed de denunciatione; & verba illa, *accusatoribus, & accusatus*, pro denuntiatoribus & denunciato accipit Glossa *in presenti*, & *in c. licet Heli, hoc tit.* quam communiter sequuntur omnes, ut refert Felinus *hic, n. 2.* Sed hæc communis interpretatio sustineri non potest, si quidem expressè repugnat verbis textus. Deinde quia ex illis verbis, *causam emendet, & eam corrigere noluerit*, satis deducitur, Pontificem agere de accusatione, per quam Episcopus impetebatur; quia damnum datum accusatori non emendabat, partique læsæ non satisfaciebatur: de illi putarunt, præsentem textum specialiter procedere in Episcopo, qui accusari nequit, nisi præmissa monitione: quem intellectum rejicit Abbas *hic, n. penult. ex d. c. veniens, d. c. cap. licet*, quibus frustra satisfacere intendit Beronius *hic num. ult. vers. Circa secundum*. Quibus omnis dicendum est, sanctum Felicem in presenti agere de subditis accusantibus Episcopum civiliter de crimine aliquo ad propriam utilitatem, & emendationem damni ab eo dati, ut innunt verba proximè expensa: quo casu necessaria est præcedens monitio, id est interpellatio extrajudicialis, *c. si quis erga 2. q. 7. cujus textus verba mirè conveniunt cum verbis præsentis textus*: de qua etiam accusatione ad privatum commodum, seu propter damnum privato illatum emendandum, loquuntur textus in *c. accusatio 15. in fine 2. q. 7. Alexander epist. 1. post princip. ibi: De his clericis, & laicis, qui Episcopos, vel reliquos Sacerdotes prius tam ad Primates eorum, quam ad*

*reliquos accusant judices, quam auribus eorum, à quibus se laesos existimant, inculcant, ut ab eis, aut jus suum, ut justam recipiant apologiam, &c.* Stephanus epist. 2. ibi: *Nec aliquis eorum (Episcoporum) aut Ecclesiarum actorum, vel defensorum ad aliquos prius accusari debet, quam ipse charitative bis, aut ter ab eis, qui se laesos existimant, vel eos pro aliquibus errantibus corrigere cupiunt, conveniantur, ut ab eis, aut familiarem emendationem, aut justam recipiant excusationem.* Athanasius ex Synodo Nicæna reclusus ab Ant. August. in epist. lib. 30. tit. 2. ibi: *Si erga Episcopum, vel actores Ecclesie quisquam causam habuerit, eos cum charitate mansuere conveniat, ut ab eis vulnus rectè sanetur, aut ipse, si secus egerit, accusator excommunicetur.* Unde rectè juxta antiquorum PP. sententiam Felix in presenti statuit in accusatione Episcopi procedi debere ad emendationem, quia agebatur de injuria privato illata. Facit textus in *l. quidam Hiberus 12. ff. de servit. urbanor. junctis Osualdo lib. 17. Donelli, cap. 1. littera B. Meril. lib. 3. obs. cap. 8.*

*e Primates.]* Quamvis inspecto jure civili, & apud bonæ notæ auctores Primates passim dicantur, qui alios auctoritate, dignitate, vel officio antecellunt, & primum locum obtinent, à reliquis distinguuntur, *l. sciendum 4. vers. Sed & si, ibi: Primatibus, ff. de legationibus, l. ult. C. de offic. divers. judic. l. 1. junctâ rubricâ, C. de Alexandria Primatibus, lib. 11. c. 1. de pace firmand. in usib. feudor. Tiraquel. de nobilit. c. 37. n. 36.* in jure tamen canonico Primas dicitur is, qui apud ecclesiasticos in provincia, regno, vel natione aliqua primam sedis dignitatem habet, in quo sensu Primates appellantur Patriarchæ, quali principes Patrum; qui Patriarchæ à Primatibus potius nomine, quam re, dignitate, aut officio differre, dicuntur in *cap. duo simul, de officio, ordinari, c. antiqua, de privileg.* docent plures laudati à Cenedo ad *Decret. collect. 58. n. 1. Casare de ecclesiast. hierarch. disp. 4. §. 3.* Juxta hanc ergo acceptionem probat textus hic, causam, in qua Episcopus accusatur, deferendam esse ad Primates, seu Patriarchas: quod etiam probatur in *c. Primates 2. q. 1. cap. 1. in princip. 4. q. 5. ibi: Ad Primates provincia.* Sed obstat quod hujusmodi causæ Episcoporum non ad Primates, seu Patriarchas, sed ad Archiepiscopos, vel Metropolitanos deferri debent, *authent. de sanctissimis Episcop. §. si quis verò vers. Si autem*: seu ad Concilium provinciale, seu nationale, *cap. 2. c. accusatus, cum sequenti 3. q. 6. c. si clericus, vers. & si 1. q. 1. Trident. sess. 24. de reform. c. 1. vel tandem ad Summum Pontificem, qui in gravioribus Episcoporum causis ad eundem est, d. c. accusatus.* Cui difficultati ut satisfaciant Abbas *hic num. 3. Barb. de potestate Episcopi allegat. 112.* accipiunt Primates in hoc textu pro Archiepiscopis & Metropolitanis, qui etiam Primates dicuntur, *c. sanè, de foro competentis.* Illustrant Bosquerus in *notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 5.* sed cum in presenti de Primatibus majoribus agatur, necessariò per eos intelligendi sunt Patriarchæ, juxta tradita per Casarem de *Ecclesiast. hierarch. d. disp. 4. §. 2.* Quare hac solutione omnia distinguendum est cum Duareno *lib. 1. de sacr. Eccles. ministris*, inter jus antiquum Pontificium, & novum; nam veteri jure canonico inspecto non solum discussio causarum criminalium Episcoporum, verum & sententia ad Synodum provincialem, vel Primates spectabat, ut probant textus ita accipiendi in *c. ulio 3. q. 6. c. 1. & 2. 6. q. 4. c. Episc. 65. II. q. 3.* Noviori tamen jure circa causas graviores Episcoporum aliter cautum fuit, ita

ita ut in illis sola discussio Concilio Provinciali, seu Primatibus permitteretur, Pontifici sententiâ reservatâ, juxta textus *in d. cap. accusatus. cap. discutere. cap. quamvis. cap. multi 3. q. 6.* Nec contrarium probatur in hoc textu; nam ut rectè notavit Felinus hic, *num. 2. notab. 1.* Felix in hoc textu non docet causas criminales Episcoporum ad Primates esse deferendas, ut ab eis sententiâ terminentur, sed ut de eis judicialiter cognoscat; & si causâ levis est, quia Episcopus civiliter accusa-

tur, eam decidat; aliâ causâ discussâ Romani Pontificis sententiâ expectetur. Prosequitur latius Marcha *in concordia Sacerdotii, & Imperii, lib. 3. cap. 16. cum sequent.* Ubi disputat tam ex veteri, quàm novo jure, Episcoporum causâ à quo sint terminandæ?

f. *Referuntur.* ] Sequuntur in ipsa epistola alia verba, quæ extant *in cap. si Episcopus 3. q. 2. cap. si agrotans 3. q. 3. cap. infame 3. q. 7. cap. peregrina 3. q. 6. cap. absente 3. q. 9. cap. si accusatorum 3. q. 10.*

## CAPUT. III.

Gregorius <sup>a</sup> Guidiscalco Duci Campanie.

**I**lla <sup>b</sup> prapositionum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vendicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quidquam agendum prius, quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum omne putat ira quod fecerit. Pervenit itaque ad nos, magnitudinem tuam usque ad hoc esse impetu furoris impulsam, ut non solum frangi januas monasterii sancti Archangeli, verum etiam diripi exinde, quod ibi inventum est, feceris. Insuper autem sic contra Abbatem ejusdem monasterii diceris exarsisse, ut nisi occultant se, iracundiâ tuâ tempore latuisset, non leve discrimen incurrisset: denique ut metu tuo perterritus, de domo, in qua se olim receperat, exire nuncusque non audeat. Quod ne frustra fecisse forsitan videreris, fugam monachi ipsius, qui ad hostes e abiit, ad ejus, quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quod cum ipsius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & valde vestram sapientiam miramur. Nam si licitum putatis, ut aliorum culpa aliis sit nociva, multi huic possunt crimini subjacere. Diversorum enim nobilium servi, multarum Ecclesiarum clerici, diversorum monasteriorum monachi, multorum judicum homines sæpe se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, servorum utique Domini, clericorum Episcopi, monachorum Abbates, diversorum fugitivorum judices, omnes sub culpa sunt & crimine constituti. Nunquid & diebus magnitudinis tuæ multi de civitate, in qua consultis, & ad <sup>d</sup> Longobardos milites fugâ non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantæque possit stultitiæ reperiri, ut eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam? Hæc itaque sollicitè pensa, atque ex te aliorum causas æstima, ut in quorundam adversitates falsis suspicionibus non ducaris. Si verò est aliquis, qui de prædicti monasterii Abbate possit aliquid dicere, quod ad <sup>e</sup> culpam, reatumque ejus pertineat, nos hoc non negligi, sed magis unâ quidem cum eis, quorum interest, causam omninò districtè & sollicitè volumus perferuari, ut aut feriat vindicta culpabilem, aut absolvat veritas innocentem. Si autem nullus inveniri potuerit, qui contra eum hoc, quod solus ipse perhibes, asserat: hortamur magnifice fili, ut à memorati monasterii, Abbatifque ipsius te adversitate contineas, & potius tuitionem illis, & propter Deum charitatem impendas. Et si quid est unde animi vestri fortassis offensi sunt, pro nostra eis interventione remitte: & ita vos, sicut Christianos convenit & prudentes, in eorum magis juvamine commodate: quatenus & nos vobis gratias referamus, & ante omnipotentem Dominum mercedem pro impensis servis ejus beneficiis, ac solatiis, acquiratis. Dat. mensè Februarii, ind. iij.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **G**regorius. ] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. c. 5.* & reperitur textus hic in ipsis epistolis D. Gregorii *lib. 8. indict. 3. epist. 12.* ex quo regesto restituo integram hujus textus. Campania ab urbe Romana usque ad Siler Lucaniâ fluvium perducitur, in qua opulentissimæ urbes Capua, Neapolis, & Salernus constitutæ sunt: quæ ideo Campania appellata est, propter uberrimam Capuæ planitiem, ut referunt Italiæ scriptores. Guidiscalco huus provinciæ Duci

rescribit Gregorius *in presenti.*

<sup>b</sup> *Illâ.* ] Verba quæ sequuntur usque ad verbum *fecerit.* extant *in cap. illa n. q. 3.*

<sup>c</sup> *Abiit.* ] Forfan ut transfuga, ut hostibus sa-

<sup>d</sup> *Longobardos.* ] Abbas in presenti, *num. 3.* Felinus *num. 2.* Beroius *num. 4.* docent duo hæc differre in eo, quod per culpam intelligitur delictum ex negligentia proveniens; per reatum verò peccatum ex malitia, seu dolo procedens: quo sensu culpa in specie, & doli differunt, & ut diversa proponuntur *in l. contractus. ff. de R. l. l. de arare. §. qui iusto. ibi. Sine dolo malo, culpa tamen, ff. de interrogat. act.*

Reatus

Reatus etsi plerunque accipitur pro delicto, *cap. testimonium 4. de testibus, cap. ult. 30. quest. 2. l. 1. C. de iudiciis*; tamen frequentius accipitur pro obligatione ad poenam propter peccatum contractam: in quo sensu peccatum actu transire, & reatum manere, docet D. Thomas in 4. art. 5. & 6. & 1. 2. q. 86. art. 1. & q. 87. art. 6. Illustrant Budeus in l. vestem, ff. de iniuriis, Corrasius lib. 2. miscel. cap. 20. Rebuffus in l. iudicasse, column. 4. ff. de V. S. Covarr. lib. 2. variar. cap. 9. num. 2. Gomez in l. 76. Tauri, num. 6. Tiraquel. de poen. temper. caus. 29. à princip. qui exponunt textus in l. si diuino 25. ff. de poenis, l. ult. ff. ad leg. lul. majest. l. ult. vers. Fraudis, ff. de bon. damn. Potest ergo in

praesenti per culpam accipi generaliter peccatum adhuc manens, seu perseverans, de cuius poenitentia non constat; per reatum verò poena, seu obligatio ad poenam ex peccato & culpa proveniens: quae poena, seu obligatio per poenitentiam, seu emendationem non editur, praesertim quoad vindictam in foro exteriori, l. qui ea mente, ff. de furtis.

Varia ex hoc textu deducunt reperentes de accusatione contra superiorem ab inferiore proponenda, vel non; & de personis, quibus praesentibus iudicium criminale agendum est. Sed quam aliena à mente Gregorii, facile agnosceret, qui praesentem epistolam sedulo legerit, perlegeritque.

## CAPUT IV.

Gregorius <sup>a</sup> Constantinae Augustae.

Omnipotens. Et infra: <sup>b</sup> Salonitanae verò civitatis Episcopus me, ac responsali meo nesciente <sup>c</sup> ordinatus est, & facta res est, quae sub nullis anterioribus Principibus evenit. Quod ego audiens, ad eundem praevicarium, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, ut omnino Missarum solennia celebrare nullo modo praesumeret, nisi prius à Serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandavi. Et contempto me, atque despecto, in audaciam quorundam saecularium hominum, quibus denudata sua Ecclesia praemia multa praebere dicitur, nuncusque Missas facere praesumpsit, atque ad me venire secundum iussionem Dominorum noluit. Ego autem praecipione pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me, vel responsalem meum praetermittere praesumpsit, ita ex corde laxavi, ac si me auctore fuisset ordinatus. Alia verò perversa illius, scilicet mala corporalia, quae cognovi, vel quia cum pecuniis <sup>d</sup> est electus, vel quia excommunicatus Missas facere <sup>e</sup> praesumpsit, propter Deum irrequisita praeterire non possum. Sed opto, & Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his quae dicta sunt, valeat inveniri, & sine periculo animae meae causa ipsius terminetur. Prius tamen quam haec cognoscantur, Serenissimus Dominus discurrente iussione praecipit, ut eum venientem cum honore suscipiam. Et valde grave est, ut vir, de quo tanta, & talia nunciatur, cum antè requiri & discuti debeat, honoretur. Et si Episcoporum causae mihi commissorum apud piissimos Dominos aliorum patrocinii disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad saeculares iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breviter suggero, quia aliquantulum expecto: & si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtiorem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam piissimis Dominis vitam tribuet, & nobis sub manu vestra, non secundum peccata nostra, sed secundum gratiae suae dona disponet. Haec ergo tranquillissimae Dominae suggero: quia integerrima Serenitatis ejus conscientia quanto moveatur zelo rectitudinis, atque iustitiae, non ignoro.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> Constantina. Ita etiam legitur in prima electione, sub hoc titulo, cap. 6. & lib. 4. epistolar. D. Gregorii epist. 34. & in cap. Salonitanae, 63. dist. cap. ult. 21. quest. 5. in quibus omnibus pro Constantina, legendum est Constantia: Constantia enim uxor fuit Mauricii Imperatoris: cui etiam rescribit idem Gregorius lib. 3. epist. 30. & 23. In priori parte hujus epistolae agit Pontifex de superba elatione Joannis Archiepiscopi CP. qui auctus fuit tempore Pelagii praedecessoris nostri Gre-

gorii in Synodo CP. ad causam Gregorii Episcopi Antiocheni celebrata nomen Patriarchae Oecumenici sibi arrogare; quod cum Pelagius sciret, cuncta Synodi gesti praeter sententiam pro Gregorio laram irritavit, ut ex ipsius Pelagii epistola refert Baronius anno 587. Sed cum postea anno 6. Pontificatus Gregorii Magni eo arrogantius, & insolentius prosequutus esset, ut in litteris Romam missis se Oecumenicum Patriarcham nominaret, idem Pontifex, qui Joannem aberrantem summam patientiam toleraverat, anno Christi 595. illum litteris suis corripuit lib. 4. epist. 38. Sabinianumque Apocrisarium Constantinopoli agentem admonuit, ne

neullo modo cum illo communicaret, ne ejus videretur superbiæ favere, *lib. 4. epist. 39.* Etiam contra ipsum scripsit Mauricio Imperatori, & ejus uxori, & Episcopis Alexandrino, & Antiocheno, *lib. 4. epist. 32. 36. & 38.* quibus omnibus cum plura inculcer in derelationem superbi illius nominis, tandem addit, ei consentire nihil aliud esse, quam fidem perdere, quia cum à Christo Domino uni Petro præfectura fuerit gregis universalis credita, si quis ejusmodi stabilitam violaverit hierarchiam, aliter sentire videretur, quam ipse Dominus sentiendum præcepit; ideoque *lib. 6. epist. 30.* Gregorius Mauricio Imperatori ostendit esse præcurso-rem Antichristi, qui superbum illud sibi nomen usurpat. De nomine universalis Patriarchæ, seu Oecumenici Episcopi tantum Summo Pontifici competenti, plura congesse- runt Brissonius *d. anno 595. Martha de jurisdict. p. 1. cap. 10. Barb. de potest. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 6. & de jure Eccles. lib. 1. cap. 1. num. 27. Savarus ad Sidonium lib. 4. epist. 25. Mendoza quest. 4. scholast. num. 3. Turrianus lib. 3. pro canonibus Apost. cap. 2. Corjolan. in notis ad can. 26. Concil. Carthag. 3. & in Breviario anno 132. Justel. in notis ad can. 39. Eccles. Afric. Co- queus contra Morneum p. 1. fol. 210.* Hanc prio- rem epistolæ partem omisimus, quia parum fa- cit ad præsentis textus expositionem: in secunda parte ipsius epistolæ agit Gregorius de Maximo, qui Salonitanam Ecclesiam invasit ope Mauricii Imperatoris, inconsulto ipso Pontifice, & per simoniacam labem Cathedram illam occupasse fe- rebatur: quare ipsum acriter increpavit Grego- rius, verum anno Christi 595. Mauricius Impera- tor Maximum in Ecclesiam Salonitanam intru- sum à Gregorio censuris ejectum per suos mini- stros, in Ecclesia illa Episcopum retinuit: & cum Gregorius jussisset, ut causam dicturus Romam ac- cederet, Imperator rescripsit Gregorio, ut ipsum honorificè reciperet: quæ de re Pontifex in præ- senti Imperatrici Augustæ rescribit, multa que in- super Imperatori insinuanda Sabiniano Apo- stasico suo scribens *lib. 7. epist. 1.* contestatus est, se paratorem esse mori, quam B. Petri Ecclesiam suis diebus degenerare. Tandem concessit, ut idem Maximus Ravennam se conferret, ubi delegatum à Sede Apostolica judicem haberet Marinianum E- piscopum, apud quem cum Maximus juramento præfinito super corpus S. Apollinaris se purgasset de simoniaca labe, ipsi impositâ pœnitentiâ de ino- bedientia erga Sedem Apostolicam, Salonam per- missus est redire, cui experenti pallium Grego- rius misit, ut constat *ex lib. 7. epist. 79.* cum dua- bus sequentibus.

2. *b Salonitanae.* ] Salona est urbs, Metropolisque Dalmatiæ, olim Colonia Romanorum, teste Pro- lomeo *lib. 2. cap. 16.* hodie dicitur Saldon. Habuit Ecclesiam Cathedralis jam à primis Ecclesiæ sæ- culis: ejus Episcopi Glycerii mentio extat apud E- vagrium *lib. 2. cap. 16.*

3. *c Nesciente.* ] Cum confirmatio Episcoporum, etiam cum eorum præsentatio ad Reges, supre- mosque Monarchas spectat, Romano Pontifici competat, ut probavi in *cap. 3. de elect.*

*d Pecuniis esset electus.* ] Unde deponendus e- rat. *cap. de hoc,* ubi dicemus, *de simonia.*

*e Præsumpsit.* ] Unde suspensus, seu ut alii vo- lunt, irregularis manebat, *cap. si celebrat, de cleric. excommunicatis.*

## COMMENTARIUM.

EX fragmento hujus epistolæ à Raymundo in præsentem transcripto sequens communiter ve- nit assertio: *Accusatus, vel denunciatus de crimi- ne, pendente accusatione, vel denunciatione novis dignitatibus decorandus non est.* Probat eam tex- tus in *cap. tantis, 81. dist. cap. accusatum 14. 2. quest. 5. cap. final. de testibus, cap. accedens, hoc tit. l. libertas 17. §. in questionibus, l. Lucius, §. idem, ad municip. l. rescripto, §. accusationis, ff. de muneribus, l. qui statim, l. qui metu, ff. de re milit. l. reum, Cod. de precibus, l. unic. Cod. de reis postu- lar. l. qui de libertate, ff. de liberal. causa, l. si ut proponis, Cod. quando provocare, l. si interveniente, l. penult. ff. ad Turpil. l. 10. ff. de jurpatron. l. si diu- tino, ff. de pœnis, l. ex judiciorum, ff. de accusat. l. ultim. ff. ad leg. Jul. majest. l. 15. §. præscriptiones, ff. ad leg. Jul. de adult. Illustrant ultra congestos à Barb. in præsentem, Petrus Greg. de elect. cap. 9. num. 2. Duarenus *lib. 4. de sacris Ecclesiæ, cap. 1.* Hotho- mannus *lib. 3. observ. cap. 7. num. 4.* Caballo *resol. crimin. cap. 121.* Tamburinus *de jure Abbat. tom. 1. disput. 4. num. final.**

Sed pro dubitandi ratione in præsentem asser- tionem ita insurgo. Omnis præsumitur bonus, nisi probetur malus, *capit. unic. de scrutinio in natur ordine, cap. ult. de præsumpt. l. testamento, ff. de ma- numiss. testam.* Sed per accusationem in judicio propositam non probatur quis malus: ergo non est arcendus ab honoribus donec talis probetur. Accedit, nam lite pendente nihil est innovan- dum, ut probavi in *cap. 1. lite pendente, necin- terim privatur quis juribus antea sibi competentibus, cap. 1. & 2. ut lite pendente, cap. 1. eod. tit. lib. 6.* ergo non debet quis privari jure adipiscendi no- vos honores, præcipue cum sæpe accusationes ex calumnia, & pravo animo opponantur: unde ab- surdum est, per accusationem tantum in judicio propositam privari accusatum jure adipiscendi no- vam dignitatem. Quare Panormitanus in præsentem, *num. 5.* probat, quod accusatus, quando non præcessit infamia, quamvis non possit promote- ri, potest tamen eligi eâ ratione, quia aliàs facile posset impediri quælibet electio, cum agnoscense- lectionem celebrandam esse, posset in continenti aliquem accusare, & ita illum pro ea vice inhabi- lem reddere ad eam electionem.

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, cujus rationem communiter Do- ctiores ex eo assignant, quia videlicet per hujusmo- di accusationem, seu denunciationem criminis læsa est fama, seu existimatio accusati, vel de- nunciati apud probos, & honestos viros; ac proinde incurrit ille infamiam facti, *ex l. 2. ibi: Re rament ipsa, & opinione hominum non effugient infamia notam, ff. de obsequiis præstand. l. ea qua. C. ex quibus causis infam. & per consequens tanquam infamis infamia facti, non potest ad novos honores, vel dignitates ascendere, ex vulgari regula, infamis portas dignitatum non patere, l. in- famia, C. de decur. lib. 10. l. infames, C. de infami- bus, eod. lib. ubi plura Amaya, l. 2. C. de dignit. lib. 12. l. 1. §. ait Prætor, ff. de postul. l. cum Prætor, §. non autem, ff. de judicis.* Ita docuerunt Glossa & communiter repetentes in præsentem; & hanc esse communem rationem, dixerunt Covart. *d. lib. 1. var. cap. 16. Navar. ad hunc titul. consil. 2.* qui inde deducunt, præsentem decisionem non pro- cedere

cedere, quando per accusationem, seu denunciationem non est læsa existimatio accusati apud probos, & honestos viros, nec ulla facti infamia orta est, veluti si à malevolis quis accusatus, vel denunciatus sit. Verùm hæc communis ratio defendi non potest: tum quia Gregorius in præfenti nullam requirit infamiam, nec ejus mentionem facit, quia verbum *nuntiantur*, referri debet ad accusationem, denunciationem, vel inquisitionem, id est ad aliquem modum procedendi ex tribus, de quibus in præfenti rubrica; cui, nisi ita accipiatur, non convenit: tum quia in *dict. l. reum, l. 1. Cod. de reis postularis, lib. 10.* simpliciter, & absolute expenditur sola delatio, seu accusatio rei, qui de crimine postulatur, & ob eam prohibent Imperatores ipsam ad novos honores admitti, nec ullam mentionem faciunt notæ, aut infamiæ ex accusatione insurgentis apud probos, & graves viros; præsertim quia attentis circumstantiis accusati, & accusatoris, non semper ex accusatione infertur talis nota, seu infamia, ut agnoverunt Innocentius, & alii in *cap. accusatum, de simonia*, Beroius hic, numer. 2. Pacianus de *prob. lib. 2. cap. 21. num. 139.* qui differentiam constituunt inter accusatum, & inter inquisitum, quia in isto semper supponitur infamia, quæ inquisitionem præcedere debet, *cap. qualiter, el. 2. hoc titul.* quæ tamen non supponitur, nec requiritur, nec semper invenitur in accusatione, vel denunciatione; & tamen Imperatores in dictis legibus semper, & indistinctè prohibent, ne accusatus accusatione pendente ad novos honores admittatur. Accedit quia si textus hic, & similes supponerent infamiam, seu potius illam requirerent, utique ea per se sufficiens erat, juxta regulam *infamibus, de R. l. lib. 6. l. 2. Cod. de dignit. lib. 12.* & ita frustra consideratur accusatio à Gregorio in præfenti, & Imperatoribus in dictis iuribus, cum sola infamia absque accusatione, seu denunciatione sufficiat.

7. Unde verius credo in hac parte distinguendam esse accusationem; seu denunciationem, aut inquisitionem criminalem, ab infamia etiam facti; ita quod reus accusatus, vel denunciatus, accusatione, vel denunciatione pendente, ad novos honores non admittatur, licet nulla ex accusatione, vel denunciatione proponatur orta infamia, & per contrarium sola facti infamia sufficiat, ut ejusmodi reus ad novos honores non ascendat, quantumcumque nulla accusatio, vel denunciatio præcedat. De priori casu in præfenti agitur, & docetur, ne reus de crimine accusatus, vel denunciatus, ad novos honores admittatur. Cujus prohibitionis ratio ea est, quia licet lex definitivè non præsumat ejusmodi reum delatum esse nocentem, & crimen illud, de quo accusatur, perpetrasse, *cap. nonne 1. 8. quest. 4. cap. final. 15. quest. ult. ibi: Non statim qui accusatur, reus est; sed qui convincitur, criminofus;* & deducitur ex dicta lege *reus, ff. de solut. nihilominus tamen, quia per litem res dubia efficitur, dubiusque est illius eventus, l. quod debetur 52. ff. de peculio, l. nemo 10. in fine, ff. de acquir. possess. dubitat, & putat possibile crimen admissum esse, unde ne contingat eundem reum criminofum existere, & talem per sententiam declarari, & consequenter indignum admitti ad honores, & dignitates, quæ velut virtutis præmia non nisi probis, & ido-*

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

neis deferri debent, satis prudenter agens præsumptione quadam supponit, fieri & contingere posse, quod accusatus, seu denunciatus, verè reus, & criminofus appareat per sententiam, ac proinde vetat, ne is accusatione, vel denunciatione pendente ad hujusmodi honores novos, vel dignitates ascendat; & eo pertinere videntur illa verba hujus textus, *valde grave*, id est periculosum, & præjudiciale est: & licet hujusmodi ratio per se non sufficeret ad arcendos reos postulatos à novis honoribus absque lege id disponente, sufficit tamen ut in ea fundetur, & pro ea justificetur præfens prohibitio, ut docuit Acunna in *cap. tantis, 81. distinct. numer. 1.* Ideoque Catilinam pecuniarum repetendarum reum à Consulatus petitione amotum fuisse, refert Salustius in *conjur. Catiline*, & ex eo Forner. *lib. 3. rer. quotid. cap. 1.* & Paulus Manucius in *epist. ad Atticum*, scribit legem fuisse, ut ne in comitiis, & petitione Magistratum, eorum ratio haberetur, qui rei postulati essent.

8. Ex qua ratione provenit, ut præfens prohibitio procedat in quibusvis honoribus, vel dignitatibus, quæ jure vel consuetudine in republica tales creduntur, & ut tales deferuntur, ut satis colligitur ex generalibus verbis dictæ legis *reus*, dictæ legis 1. & ex hoc textu: ibi, *honoretur*. Unde non poterit reus criminis accusatione pendente ad Ordines promoveri, *dict. cap. tantis, 81. dist.* nec nomen militiæ dare, *l. qui status 8. l. ult. ff. de re milit.* & quia testimonium ferre in causa criminali honorem præfert, & ad fidem, & integritatem personæ testificantis spectat, *cap. præceptum 31. quest. 5.* notant Glossa 2. & DD. in *cap. testimonium 54. de test.* idè non potest reus de crimine delatus in causa criminali, præterquam in exceptis, testimonium ferre, *l. in testimonium 20. ff. de testibus, cap. final. eod. titul.* docuerunt Campegius de *testibus, reg. 105.* Rebuffus de *reprob. testium, à num. 27.* Procedit etiam præfens assertio, tam in reo accusato; vel denunciato ad vindictam, vel inquisito specialiter, quia in quocumque ex eis viget ratio suprâ tradita, & probatur ex illo verbo *Nuntiantur*, hujus textus; & ex dicta lege 1. *Cod. de reis postularis.* Probarunt Abbas, & Felinus in *dict. cap. final. de testibus*, Navarrus ad *hunc titul. consil. 3. num. 4.* Etiam procedit præfens assertio pendente appellatione à definitiva sententia prolata, etiam absolutoria; adhuc enim reus ad novos honores ascendere non potest. Glossa finalis, & DD. in *dict. cap. ult. Navarr. dict. consil. 3. numer. 1.* Covarr. *lib. 1. var. cap. 16. numer. 11.* & suadetur, quia cum per appellationem suspendatur pronuntiatio, *l. 1. §. ult. ff. ad Tarpil. interim dum ea pendet, dicitur lis, & accusatio pendere, nec adhuc censetur reus absolutus per eam sententiam, sicut nec condemnatus quoad juris effectus per condemnatoriam, dict. l. 1. §. ult. l. 2. §. final. ff. de panis:* ac proinde pendente interim accusatione locum habet præfens assertio. Et dum Jurisconsultus in *leg. 1. vers. Integer, ff. nihil innovari*, docet pendente appellatione integrum esse statum appellantis, seu litigantis, intelligitur de integritate, quam habebat ante sententiam, dum accusatio pendebat; nam in eo statu, quicumque is fuerit ante sententiam, lite, vel accusatione pendente, in eodem

B

eodem

eodem quoad juris effectus existit post sententiam definitivam, quamdiu appellatio pendet, & ita sententia appellacione pendente non operatur plures effectus, quam accusatio, vel lis ante prolatam sententiam. Sed nihilominus per eandem sententiam, & appellacionem interpositam non tolluntur effectus illi, quos lis, vel accusatio pendens ante sententiam operabatur *d. l. i. §. ult. ff. ad Turpil.* Nec obstat quod pendente appellacione potest reus postulatus honoribus fungi, *d. l. i. vers. Ergo, ff. nihil innovari*; id enim procedit in honoribus obtentis ante litem, vel accusationem criminis, quibus sicut lite, & accusatione pendente fieri poterat. *l. libertus 17. §. ult. ff. ad municip. d. l. i. C. de reis postulat.* ita etiam post sententiam appellacione pendente, eidem fungi non prohibetur. Contrarium verò procedit in novis honoribus, quos sicut accusatione pendente ante sententiam, ita post sententiam, dum appellatio pendet, assequi non potest. Aliqui etiam protrahunt presentem textum ad reum conventum in causa civili, in qua agitur de omnibus bonis, vel majori eorum parte; quia ejusmodi causa æquiparatur causa criminali *l. propter litem 24. ff. de excusat. iur.* & ita sicut reus postulatus in causa criminali arceatur à novis honoribus; ita etiam conventus iudicio civili, in quo de omnibus ejus bonis agitur. Ita tenuerunt Glossa in *d. l. i. C. de reis postulatis*, Tiraquel. *de nobilit. cap. 31. num. 370.* Sed hæc sententia juris principiis inspectis sustineri non potest; nam tam Gregorius in presenti, quam textus in *d. l. reus, d. l. i. specialiter* agunt de reis crimine postulatis; unde eorum prohibitio non debet extendi ad reos conventos in causis civilibus, juxta regulam *Odia, de R. l. lib. 6.* Tum quia in eis cessat ratio supra adducta; quantumcunque enim lis vertatur super omnibus, vel majori parte bonorum, & reus succumbat, non ex eo efficitur indignus, aut apparet malus, seu non idoneus ad honores illos, à quibus lex pauperes, quæ tales sunt, absolutè tanquam inhabiles non repellit, quamvis divites regulariter pauperibus præferantur, *l. ad subeunda 46. C. de Decurionibus, lib. 10.* Tiraquel. *de nobilit. cap. 3. an. 19.*

9  
Prose-  
quuntur  
alia am-  
pliatio-  
nes.

Ampliat etiam, & explicatur præsens assertio, ut promotio, collatio, vel assequutio novi honoris, seu dignitatis in proposito vim non habeat, nec convalescat, quantumcunque postea per definitivam sententiam absolvatur, & innocens appareat is, qui reus postulatus, ac accusatione pendente promotus, & novos honores fuerat assequutus, *l. qui de libertate 29. vers. & licet, ff. de liber. caus. Præpositus, & Acunna in d. cap. tantis*; & suadetur, quia hujusmodi promotio, seu collatio, accusatione pendente fit directò, & principaliter, contra textus in *dist. l. reus*, ibi: *Principalibus constitutionibus*; & *l. i. C. de reis postulatis*: ac proinde non valet ipso jure, *ex l. non dubium, C. de legibus, cap. quæ contra, de R. l. lib. 6.* Unde cum talis promotio, seu collatio novi honoris nulla fuerit à principio, postea convalescere nequit, etiam si tollatur impedimentum, appareatque reum postulatum innocentem esse; quia superveniens habilitas non sufficit, nec confirmat collationem inutilem, juxta textum in *cap. si eo tempore, de rescript. lib. 6. l. i. §. si filius, ff. de legat. 3.* docet Acunna ubi supra, num. 3. Hæc tamen ampliatio non procedit in honoribus, & dignitatibus, quæ per legem humanam annullari nequeunt, ut est promotio ad sacros ordines; quia licet ejus exercitium

impediri posset lege humana, quo sensu, & alià quando irritari dicitur, *cap. 1. & 2. de schismat. cap. Sanctorum, 70. dist.* tamen effectus characteris impediri nequit lege humana, siquidem effectus inseparabilis ipsius ordinationis.

Hucusque tradita nonnullas patiuntur limitationes. Prima enim est, quia procedunt tantum in eo, qui de gravi crimine reus postulatus est, ut facile probatur ex præsentem textu, ibi: *De quo tanta, & talia*; quin immò & desiderari delationem criminis capitalis, colligitur *ex d. l. libertus 17. ad finem*, ibi: *Capitalium criminum reos*; & *l. Lucius 22. §. penult.* ibi: *Accusatore criminum capitalium, ff. ad municip. docet Acunna ubi supra, num. 5.* Secundò limitatur præsens assertio, ut tantummodo procedat intra annum à die propositæ accusationis: nam eo elapso, si adhuc lis per sententiam definita non sit, potest reus novos assequi honores, nisi per eum steterit, quo minus intra annum finiatur causa, *d. l. reus*: docet Glossa 2. in *d. cap. tantis*, Annt. Matthæus ubi supra; nam criminalis causa super crimine mota olim anno terminabatur; quo elapso statim reus absolvebatur, nisi per eum steterisset, *l. i. & 2. C. Theodos. ut intracertum tempus*; idque observatum fuit usque ad Justin. ut patet *ex l. ult. C. Justin. cod. titul. unde quia post annum non penderat, sed extincta, & finita credebatur accusatio, cessabat etiam prohibitio juris, quia jam non erat reus de crimine delatus, ac proinde poterat novos assequi honores, quemadmodum potest accusator aliàs deficiente, & ab accusatione cessante, l. rescripto 6. §. si quis, in princip. ff. de muner. & bonor. aut non petente per temporis legitimum spatium, l. Lucius, §. idem respondit, l. in Senatusconsulto, §. qui post, ff. ad Turpil. vel abolitionem privatim petente, l. aut privatim 10. ff. ad Turpil.* An verò hodie post dictam legem ultimam, per quam lis, & accusatio criminalis non terminatur anno, sed biennio, procedat textus in *dist. l. reus*, & accusatus anno elapso novos honores assequi possit, vel expectari debeat biennium, disputat Cuiac. *lib. 1. obs. cap. 87.* ubi non sine ratione contra alios resolvit, biennium expectandum esse; attentà tamen generali consuetudine, tam in foro sæculari, quam ecclesiastico, non servatur hujusmodi præfinitio biennii in criminalibus, sicut nec triennii in civilibus, *ex l. propterandum, C. de iudiciis*, ut notavi in *cap. 4. de officio delegat.* Unde juxta hodiernam praxim præsens limitatio locum non habet: illud tamen certum est, hanc prohibitionem locum non habere, cum ex conjecturis constat, accusationem proponi, & reum deferri per fraudem, & calumniam, ut is honores, aut dignitates assequi non valeat; tunc enim perinde ac si nulla penderet accusatio, admittendus est, *l. qui de libertate 29. vers. Qui verò, ff. de liberat. caus. Præpositus in d. cap. tantis, num. 3.* Navarrus *d. consil. 3. num. 7.* Acunna *supra, num. 4.* Faciunt textus in *cap. sedes 15.* ibi: *Eorum malitias obviare, de rescript. l. athleta 8 §. i. vers. Amplius, ff. de excusat. iur. cap. 2. ubi DD. de renunc. lib. 6. l. i. §. penult. ff. de quest. l. in summa 65. vers. sin autem, ff. de condit. indebit. per quam receptum est, quod quando per fraudem, & calumniam movetur lis, ea non attenditur quoad juris effectus, & sic non efficit rem, de qua agitur, litigiosam.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; pro cuius solutione dicendum est, regulam illam, *l. reus pendente nihil innovari*, procedere respectu juris

10.  
Limita-  
tiones  
hujus  
textus.

11.

Dissol-  
vitur  
dubi-

juris quaesiti, & exercitii illius; non verò quoad honores noviter acquirendos, quos accusatus in iudicio assequi non potest: honoribus verò jam obtentis uti non prohibetur, *d. l. libertus, §. ult. ff. ad municip. ibi: Dignitatem pristinam interim retinet; & cap. nonne, ubi Glossa, §. q. 4. Covarr. lib. 2. var. cap. 8. num. 4. Menchaca illustr. contr. cap. 84. num. 26.* quia in admittendis honoribus, seu dignitatibus antea obtentis, & illarum usu viger diversa ratio, & longè majus vertitur praesudicium, quam in his, quae de novo deferuntur assequendis; unde meritò plus requiritur ut dignitates antea obtentae amittantur, quam ut noviter obtinendae impediuntur; siquidem in illis de damno, & poena; in his verò de lucro agitur, argumento legis ultimae, *Cod. de codicillis, juncta lege Titio 70. §. 1 ff. de condit. & demonst. Unde licet alias in poenam criminis commissi repellatur quis ab honoribus assequendis, nisi ex verbis legis, aut aliis conjecturis contrarium appareat, non ideò privatur, aut repellitur ab obtentis, seu illarum usu, & administratione, cap. postulasti, de cleric. excommunic. refolvit Covarr. ubi supra: ita etiam, etsi reus accusatus post latam sententiam condemnatoriam, à qua appellavit, nequeat novos assequi honores; tamen obtentis ante accusationem non privatur, nec illorum usu, seu exercitio. Nec huic solutioni obstat textus in cap. accusatum 4. de simonia, dum in eo probatur, simoniacum accusatione pendente non posse Missarum solemnia celebrare: igitur quia accusatus de crimine, non solum repellitur à novis honoribus assequendis, verum etiam & usu, ac exercitio dignitatis obtentae privatur. Nam huic difficultati communiter responderet, textum illum procedere in reo accusato, & insuper infamato, qui per delationem criminis infamiam facti contraxit, & ejus existimatio apud bonos, & graves viros laesa est; siquidem hi suspenduntur interim à Missarum celebratione, *cap. prebyter si a plebe 2. quest. 4.* Verum haec solutio non satisfacit: tum quia divinatoria est, siquidem nullum extat verbum in *dist. cap. accusatum*, unde infamia colligi possit; imò tantum expeditur accusatio, quae infamiam omnino non supponit: tum quia etsi infamia supponeretur, adhuc inhaeremus in eadem difficultate, quare videlicet propter infamiam accusatione tantum pendente reus usu, & exercitio dignitatis jam obtentae privetur? contra hucusque tradita. Quare haec, & aliis solutionibus omisis, traditis ab Archidiacono in *cap. quia res II. quest. 1.* Menochio *remed. 1. recuperand. poss. ff. num. 134. & 336. & re-**

*med. ult. num. 42.* dicendum est, textum in *dist. cap. accusatum*, cum sequenti, specialiter procedere in reo accusato de crimine simoniae in ordinum susceptione commisso; nam ita ordinato infligitur suspensio ipso jure, *cap. tanta, vers. item, de simonia, extravag. 2. post princip. eod. titul. docent Navarr. in manual. cap. 23. num. 111. Bernard. Diaz. in praxi, cap. 19. Henric. 2. p. summa, tit. de excommunic. cap. 37. num. 35.* & in eo textu probabimus. Nec obstat, quod per hanc prohibitionem ad novos honores datur occasio improbis hominibus excludendi ab honoribus homines probos, & dignos. Nam responderet, hanc occasionem tolli per inscriptionem, per quam ad poenam talionis obligatur accusator, *cap. super his, ubi dicemus, hoc tit.* Deinde quia si ex conjecturis probabiliter appareat reum per calumniam, & fraudem deferri ad effectum ut delatus à novis honoribus arceatur, non tamen procedit, nec locum habet praesens prohibitio, *l. qui de libertate 29. vers. qui verò, ff. de liberali causa, l. 2. §. penult. ff. de quest. & ita non faciliò ob calumniosam accusationem eveniet, reum accusatum à novis honoribus arceri.*

Sed supra traditis obstat textus in *cap. meminimus 13. hoc titul.* ubi cum Abbatisa esset de gravissimo simoniae crimine accusata, nihilominus jubet Pontifex, ut ab Episcopo benedicatur ad huc accusatione pendente: Igitur quia reus criminis postulatus non impeditur novos honores assequi. Pro cuius textus expositione varia adduxerunt repetentes *ibi, Hostiens. in eo textu, Felinus num. 2. Menchaca illustr. cap. 87. n. 25.* qui accipiunt praesentem assertionem, quando ex accusatione laesa est existimatio accusati; at verò textum in *d. cap. meminimus*, casu quo nulla ex accusatione Abbatisae infamia orta fuit. Alii textum accipiunt illum specialiter in casu proprio, quia in e us specie nulla contra Abbatisam pendebat accusatio, vel denunciatio; quia licet Henricus proponeret se accusare velle eandem Abbatisam, non tamen eam de tacto accusavit. Ita docuerunt Abbas *ibi, num. 9. Anania num. 2. Navarr. d. consil. 3. num. 7.* verum his solutionibus omisis dicendum est, textum in *d. c. meminimus*, procedere in ea accusatione, quae saltem juris praesumptione fiebat malo animo, & sic per fraudem, & calumniam, attentae qualitate accusatoris, qui erat inimicus Abbatisae, contra quam testimonium dixerat. Unde non obstante accusatione de simoniae labe ab ipso Henrico proposita, rectè jubet Pontifex benedictionem illi impendi.

## CAPUT V.

## a Paschalis Papa.

Nulli Episcoporum ab accusatione sua repellere liceat, quos antequam ab eis se impetendos cognoscere, à sua communi familiaritate neglexerint<sup>b</sup> separare.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> Paschalis Papa. ] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 3.* & apud Gratianum in *cap. nulli 14. 3. quest. 5.* nullibi tamen exprimitur, cuius Paschalis hic textus sit, nec inter epistolas, tam primi, quam secundi, reperiuntur verba huus textus.

D. D. Gonzal, in *Decretal. Tom. V.*

<sup>b</sup> Separare. ] Consonant textus in *l. si uxor 13. §. final. ad leg. Jul. de adult. cap. in presentia 46. de sententia excommunic. & regulariter, quem quis semel approbavit, postea reprobare non potest, cap. accepimus 13. de etat. & qualit. l. ni gradatim, §. sed reprobari, ff. de muner. & honor. l. Pomponius, ff. de negot. gest. non tamen in praesenti casu potuit Episcopus retinendo familiarem*

B a crimino.



criminosum reddere habilem ad accusationem contra alios in iudicio proponendam; quia cum hæc inhabilitas à jure proveniat, privata approbatione tolli non poterat, ut probat Balboa in cap. 2. de except. num. 118. Contra ipsum tamen

Episcopum talis familiaris criminosus auditur in poenam ipsius Episcopi, quia in sua familiaritate retinuit hominem criminosum, quem repellere debebat, ut probavi in cap. 1. hoc tit. ubi textum hunc exposui.

## CAPUT VI.

## Ex Concilio a Magoc.

DE iis criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio repli-

cari.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **M**agoc.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. in hac sexta, & apud Burchardum lib. 16. Decreti, cap. 9. legitur Maguntin. Carnotensis p. 16. Decreti, cap. 319. citat textum hunc ex capitulis Caroli, lib. 7. cap. 291. Et licet in eo non reperiantur verba hujus textus, extat tamen sententia capite 351. in hæc verba: *Flagitari iudicium non debet de causa, qua definita, vel iudicata est.* Unde credo in præfenti referri canonem alicujus Concilii Moguntini nondum excusi, de quo idem notavi in c. 2. de empt. & vendit.

## COMMENTARIUM.

2. **E**X hoc textu communiter talis deducitur assertio: *Accusatus de uno crimine, iterum de eodem accusari nequit.* Probant eam textus in cap. silli 23. quest. 4. cap. veniens 359. 9. cap. si quem 8. cap. notandum 2. q. 3. c. divina, de penit. dist. 3. Heraldus Episcopus Turon. in suis capit. can. 119. *Ut definita criminis nullus refricare audeat.* Et l. si cui, §. isdem, l. Senatus 14. ff. de accusat. l. accusationem 6. l. si quis homicidii 11. l. qui de crimine. C. eod. tit. l. 4. §. final. ff. ad leg. Jul. de adult. l. sepulchri, ff. de sepulchro violat. l. in delictis, §. si de tracta, ff. de noxal. act. l. final. C. de custod. reor. l. 2. C. de except. rei judic. l. 1. C. quando provocare, l. penult. §. final. ff. nauticæ, capon. l. 3. §. si plures 12. ff. de homine libero exhib. l. 3. ff. de popular. action. l. 12. tit. 1. partit. 7. Illustrant ultra congestos à Barb. in præfenti, Covarr. lib. 2. var. cap. 10. P. Gregor lib. 5. partit. tit. 9. cap. 6. Peregrinus de fideicommiss. art. 55. num. 41. Caballore sol. crimin. casu 93. plures quos congerit Aylton ad Ant. Gomez lib. 3. var. cap. 1. num. 27. Forner. lib. 5. rer. quotid. cap. 18. Cujac. in l. 9. Cod. de accusat. Barbosa in l. 1. art. 14. ff. de iudiciis Aug. Barb. in cap. felicitis, de penit. in 6. Desider Herald. lib. 1. de auctorit. rei judic. cap. 1. num. 11. Vighel. in method. juris can. fol. 32. Valenzuela consil. 145. ex num. 1. Tiber. Decianus lib. 3. tract. crim. cap. 30. Salgado de protecl. reg. 4. p. cap. 8. ex n. 322. & cap. 12. num. 79. Ant. Matthæus de crimin. ad tit. de accusat. cap. 3. num. 4. Bobadilla lib. 3. polit. cap. 15. nu. 99. & cap. 21. n. 34.

3. **I**mpugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in præfentem assertionem ita insurgo: Res iudicata tantummodo locum habet inter eos, inter quos actum, vel iudicatum est, alii verò, sicut nec illis prodest, nec nocet res iudicata, iterum eandem actionem intendere possunt, l. 1. l. & an eandem, in princip. ff. de except. rei judic. l. 1. per totam. C. res inter alios, l. 1. C. quibus res iudicata; & ne quis dicat hoc procedere in causis civilibus, apertius in crimina-

libus idem statutum est in l. 3. Cod. quibus res iudic. quæ est pars legis 9. C. de accusat. ut in inscriptione apparet, & in ea Imperatores Dioclet. & Maxim. ajunt, juris manifestissimi esse in accusationibus, his, qui congesti in iudicio non sunt, officere non posse, si quid forte præjudicii videatur oblatum. Igitur etsi quis de aliquo delicto sit à Titio accusatus, & absolutus evaserit, vel condemnatus fuerit, poterit iterum à Sempronio de eodem crimine accusari.

4. Quæ dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, tam apud Consultos, quàm apud Rhetores vexatam questionem esse, an qui alicujus criminis accusatus, & absolutus contradictorio iudicio fuerat, ab alio repeti, sive de novo accusari possit, ut constat ex Quintiliano lib. 7. instr. cap. 6. ibi: *Sollet & illud queri, quò referatur quod scriptum est, bis de eadem re ne sit actio, id est hoc bis, an ad rem, an ad actionem: id est, an excludatur tantum qui egit, & superatus est; an verò quilibet eandem accusationem repetere volens; sive, ut ita dicam, an absolutio personalis sit, an realis.* Et placuit rei iudicatæ exceptione omnes submoveri, & eum, qui ab alio ex uno delicto in iudicium delatus est, ab alio super eodem deferri non posse, l. hi tamen 11. §. ult. ff. hoc tit. & apud Græcos legem fuisse bis de eadem re adversus eundem iudicium non dari, aut rationes bis exigi, aut suffragia ferri, constat ex Andocide de usu fori Attici in oratione contra Alcibiadem, quem ita latinè vertit Desid. Heraldus dict. lib. 1. cap. 1. *De odio autem adversus populum, quem me insimulant, de que factionum studio, non est quod multis verbis agam; si enim hæc criminatio nondum esset in iudicium deducta, & iudicata, sanè & accusatores bis de criminibus dicentes audiri essent, & ego necesse haberem ea diluere. Quoniam autem quater accusatus, toties absolutus sum, de his rebus nihil amplius dicendum existimo. Siquidem antequam de aliquo iudicium feratur, criminationes, quæ ei obijciuntur, veræ sint, nec ne, non est facile iudicare. Eo autè absoluto, aut damnato, controversia finita est, & quid eorum verum sit, aut falsum, constitutum. Quare durum existimo, eos, contra quos sententia datur, uno suffragio morti adjici, & eorū bona publicari, eos autè, qui liberati sunt, & absoluti, esse accusationibus expositos esse; & iudicibus perdendorum, atq; exterminandorum hominū potestatem datam, non etiam servandorum; maxime cum leges velint ne bis eadem de re cum eodem in iudicio agatur; vos autè ex præscripto legū jus dicturos juraveritis.* Eandem legem ex Cicerone Sopatro, Rhetore Græco, & Quintilano declamat. 266. probat Rodulf. Forner. l. 5. rer. quotid. c. 18. Cæterum si non de eodè crimine agatur, veluti si plura crimina quis admiserit,

misericordiam, singulorum nomine accusari poterit; ad eum ut si ex eodem facto plura crimina nascantur, & unius nomine fuerit delatus, possit & alterius ab alio reus accusari, *l. qui de crimine* Cod. hoc titul. Quo casu procedunt textus in *l. qui cætu*, §. *qui vas autem*, ff. ad leg. Iul. de vi, l. 3. §. *si mater*, ff. de Carbon. veluti contumelia causâ servum Titii occidisti, & injuria est, & cædes: vitiafi sororem alii nuptam, & incestus est, & adulterium; utriusque igitur criminis reus à diversis accusatoribus fieri potest, *l. 2. ff. de privat. delict.* Diversa enim crimina, non tam numero factorum, quam ratione & qualitate estimantur: itaque & ex eodem facto plura nascuntur crimina; & contra, licet plura sint facta, unum tamen intelligitur crimen, unaque accusatio; ut si plura convitia eidem eodem tempore dixeris, si plures plagas, si varia vulnera inflixeris: quo casu, si de singulis separatim agatur, exceptio obstat, *l. 7. §. si plures*, ff. de injuriis, *l. illud* 32. §. 1. ff. ad leg. Aquil. & si unum crimen pluribus legibus vindicetur, non nisi ex una reum fieri Senatus permittit, *l. Senatus* 14. ff. hoc titul. quod Accursius & repetentes ibi accipiunt, ita ut si idem crimen pluribus vindicetur legibus, & actum fuerit ex leviori, possit ex duriori agi in id, quod in ea plus est, argumento legis. ff. de vi bonor. rapt. *l. qui servum* 34. *l. quotiens* 41. §. 1. ff. de V. & A. Verum ea interpretatio menti Senatus adversatur; nam Senatus voluit succurrere reis adversus delatorum improbitatem; ideo non nisi ex una lege reum fieri voluit, sive levior, sive durior esset, ut liquet ex Suetonio in vita Titii, ibi: *Inter adversa temporum, & delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri: hos assidue in foro flagellis, ac fustibus caesos, ac novissime eraductos per amphitheatrum arenam, partim subijci in servos, ac venire imperavit; partim in asperissimas insularum aëves: utque etiam similia quandoque ausuros perpetuo coerceret, vetuit inter cetera de eadem re pluribus legibus agi.*

His suppositis, ratio, ob quam semel legitime accusatus, & definitivè absolutus, non possit amplius de eodem crimine reus fieri, provenit ex eo, quia sententia cum legitime accusator lata omnibus aliis de populo obstat, quia in qualibet re respiciente publicum interesse, quilibet de populo est legitimus accusator, unde sententia cum eo prolata omnibus aliis præjudicat, & ut ait Donel. in *l. sapè*, ff. de re judic. posterioribus nulla superest actio, postquam primus victus fuit, quia competit accusatio omnibus collectivè, non ut singulis: quare qui præoccupat, totum jus populi in iudicium deducit, quo superato, nihil cæteris manet ut experiantur. Exemplum affert Alexander in *dict. l. sapè*, numer. 33. veluti si Dominus unius litis plures constituat procuratores in solidum, quorum uno defendente victus sit, non est dubium, quin sententia noceat Domino perinde ac si omnes succubissent, *l. pluribus* 31. ff. de procurat. cap. si duo 6. eod. titul. lib. 6. Pichardus ad titul. Instit. de his, per quos agere. Similiter enim in popularibus actionibus quilibet agendo, seu accusando consumit jus aliorum, & facultatem accusandi, quia cum in favorem publicum, & ad publicam vindictam quilibet de populo admittatur accusator, sententia criminis absolutoria lata cum priore, sicut Reipublicæ

præjudicat, ita etiam omnibus pro eadem, & ad publicam vindictam accusantibus, qui in his terminis non attenduntur, nec alii censentur, sed tanquam iidem cum prioribus Reipublicam, seu populum repræsentantes. Faciunt textus in *l. cum qui* 30. §. *in popularibus*, ff. de iurejur. l. 3. ff. de popul. action. cum traditis per Glossam penultimam in cap. cum dilectus 32. de elect.

Hucusque tradita ampliatur, ut procedant, non solum ubi semel accusatus ab eodem accusatore, verum etiam ubi ab alio iterum accusatur, siquidem nec is novus admittitur, ex ratione proximè adducta, & probat præsens textus, qui pro ut habetur in hac sexta collectione, absolute, & indistinctè ait, accusationem non posse replicari, licet apud Carnotensem in prima collectione, legatur ab eodem. Faciunt textus in *dict. l. si quis homicidii*, *l. 12. partita*, ibi: *Nolo podria accusar otro ninguno.* Ergo generaliter tam in eodem, quam in alio quocumque accusatore locum habet præsens assertio. Nec obstat textus in cap. cum P. hoc titul. quem in contrarium expendit Glossa 2. in cap. habet 2. quæst. 5. quia procedit in terminis longè diversis, nec agit de reo semel absoluto, & iterum de eodem crimine accusato. Ampliatur deinde præsens assertio, ut locum habeat non tantum ubi reus criminis fuit absolutus in iudicio, & per viam accusationis, verum & per viam inquisitionis; tunc enim post absolutionem non potest de eodem crimine accusari, ut docuerunt in præsentibus Abbas numer. 7. Berouus numer. 20. Covarr. supra numer. 5. Jul. Clarus *dict. §. final. quæst. 97. numer. 7.* Licet autem nonnulli, quorum sententiam immeritò communem dicit Covarr. *dict. numer. 5.* hanc ampliationem admittant attentò jure civili, non verò canonico, quia ex jure civili eadem poena imponitur quomodocumque delictum apparuerit, *l. 4. Cod. de sepulchro violat.* *l. 2. §. si publico*, ff. ad leg. Iul. de adulte. Ex jure verò canonico mitior poena imponitur, cum per inquisitionem proceditur, cap. inquisitionis 27. ubi dicemus, hoc titul. & ita adhuc hoc jure attentò locum esse accusationi, ut per eam poena integra, & ordinaria imponatur, argumento capitul. felicis, vers. *Per hoc, de penis in 6.* junctis traditis à Covarr. ubi supra, num. 6. Verius nihilominus est, hanc ampliationem procedere etiam juxta sacros Canones, etiam in casibus, in quibus minor poena per inquisitionem imponitur, ut probat Abbas hinc, numer. 7. quia quamvis dum reus condemnatur mitiori poenæ per inquisitionem, possit dubitari, an postea ad integrandam poenam ordinariam agi possit; tamen cum in præsentibus agamus de reo absoluto, nihil interest, an per viam inquisitionis, an accusationis fuerit absolutus, cum utroque casu eadem militet ratio, & de accusati innocentia constet; eodemque modo ratiocinandum est de reo per viam denunciationis absoluto. Rursus ampliatur præsens assertio, ut procedat sive reus absolutus sit per viam iniquitatis, sive per modum gratiæ, ex indulgentia Principis, ut docent Jul. Clarus supra, & Covarr. num. 2. & suadetur ex *l. licet*, ff. nante, canon. & ex eo, quia aliter indulgentia, & gratia esset inutilis, cum non esset perpetua, contra regulam Decet, de R. l. lib. 6. quæ doctrina procedit quando absolutio ex indulgentia fit indistinctè, non verò si ad tempus, vel cum aliqua modificatione, quia tunc ex vulgari regula, *Limitata causa, &c. l. in agris* 16. ff. de acquir.

acquir. rer. domin. limitatum producit effectum. Deinde ampliatur præfens assertio, ut procedat non solum ubi reus absolutus est, verum & condemnatus; nam contra illum de eodem crimine agi nequit, juxta mentem præfentis textus, & ejus rationem supra illustratam. Quæ ampliatio ad eam vera est, ut semel condemnatus ex aliquo crimine, & iterum de eodem accusatus, si in limine judicii exceptionem rei judicatæ opponat, non audiatur accusator antequam eadem exceptio discutiatur. Bartolus per textum ibi in l. Senatus. ff. hoc tit. quia juxta supra traditam rationem, eo casu nullam actionem habet novus accusator: quare non tenetur reus respondere, aut litem super accusatione contestari.

7.  
Referuntur  
varie  
limitationes  
hujus  
textus.

Deinde sciendum est, præfentem assertionem nonnullas pati limitationes. Prima, cum reus definitivè non fuerit absolutus, seu interlocutoricè, seu ab observatione judicii, propter defectum accusantis, qui legitimus non est, propter libellive defectum, aut similem causam; quia tunc reus potius eximitur poenâ, quàm crimine; & ita eo casu reus repeti potest ab alio, vel ab eodem accusatore. Eximitur etiam nomen ex reis interveniente publicâ abolitione, & indulgentia criminis, quæ nunquam est perpetua, sed temporalis, propter ferias aliquas, aut publicam latitiam. Cæterum finitis feriis potest reus repeti ab eodem, vel ab alio, l. aut privati. ff. ad Turpil. Paulus lib. 5. sent. tit. de abolit. intra 30. dies; aliàs tempore elapso, ab eo repeti non potest, ab alio repeti valet, l. 3. §. ult. ff. eodem: nisi ex speciali Principis permisso, l. 1. C. de abolit. Etiam hoc casu, cum absolutus est reus ab observatione judicii, accusari potest ab alio, non verò ab ipso, qui semel ipsum accusavit; nam post primam accusationem superest inter utrumque inimicitia, quæ novam accusationem impedit, juxta caput cum P. infra hoc titul. Etiam limitatur præfens assertio, ubi reus ritè, & legitimè absolutus non est, veluti si per collusionem, prævaricationem, seu fraudem; nam tunc accusatio iterari potest, l. 3. ff. de prævaricat. l. enim qui 30. §. in popularibus, ibi: Si non per collusionem actum sit, ff. de jurejur. docent Covarr. ubi supra, num. 1. Gamma decif. 53. ad finem. Quo casu accipio Hermogenem relatum ab Heraldo d. cap. 1. in hæc verba: Veluti bis de eadem re venit actio. Quidam cadis accusatus absolutus est, postea cum Apollinem consulere, respondit: Homicidii oraculum non edo. Et hic rursus accusatus est. Et quod de Domitiano refert Suetonius in eo his verbis: Corneliam virginem Maximam absolutam olim, & hinc longo intervallo repetitam, atque convictam defodi imperavit. Et quod de Tiberio tradit Diocæsius lib. 58. his verbis: Per multi quoque eorum, qui superioribus temporibus causâ dictâ absoluti fuerant, tunc in judicio retracti sunt, tanquam qui antea Sejani gratiâ condemnationem effugissent. Etiam limitatur præfens assertio ut locum non habeat, ubi reus primò absolutus est in judicio, in quo civiliter super crimine actio intenditur; adhuc enim potest de eodem criminaliter accusari, ex regula legis unicæ, C. quando civilis actio, eum traditis per Barbofam in l. 2. in princip. num. 138. ff. solut. matrim. docuerunt in præfenti Abbas num. 6. Felinus num. 8. Beroius num. 21. Barbof. ubi proximè, Jul. Clarus in praxi, §. ult. quest. 2. qui rectè docent, hoc non procedere ubi utraque poena, civilis scilicet, & criminalis, tendit ad

vindictam publicam; quia tunc absolutus in uno judicio, non potest ulterius accusari, leg. quod Senatus 6. cum sequenti, §. 1. ff. de injuriis. Etiam limitatur præfens assertio, ut procedat quando reus semel absolutus iterum de eodem crimine accusatur ad vindictam publicam, secus verò si per eum, qui suam, vel suorum injuriam prosequitur, ignorans priorem accusationem, & causam in judicio agitaram, l. scuti, §. 1. l. 4. §. maritus, ff. ad leg. Tul. de adult. Paulus lib. 1. sentent. tit. 6. §. ult. ut in l. cogendum 45. §. quia, ff. de procurat. veluti si actum sit ab uno de populo, ex lege Julia de vi publica contra aliquem, quia homines armatos coegit, & vim alii intulit; posteaque superveniat ille ipse, cui vis illata fuit, & hoc casu permittitur ei privatam injuriam in judicium deducere. Facit textus in dict. l. 12. titul. part. 7. Item limitatur cum adversus eundem proceditur per viam accusationis, aut inquisitionis pro delicto: quo casu procedit textus in cap. finali, de celebratione Misarum.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, deducta ex illo principio, Res inter alios acta, &c. Nam omisa sententiâ Glossæ verbo Item in publicis, in l. 2. C. res inter alios, quæ asserit regulam illam limitari in causis criminalibus, cum reus per sententiam est absolutus, dicendum est in præfenti casu, ut supra in ratione decidendi probavi, de eadem re iterum agi, eandemque causam disceptari, & inter easdem personas; siquidem accusatio cum omnibus de populo competit, illis non competit ut singulis, & ita unus jus omnium consumit agendo. Nec obstat textus in di. l. 2. Cod. quando res inter alios; nam ejus textus sententiâ accipienda est juxta casus proximè relatos, videlicet si de prioris accusatoris perfidia, seu collusione, aut prævaricatione constiterit; tunc enim alius accusator admittitur, ut cautum fuit lege Julia de judic. publico, l. 7. ff. de prævaricat. l. 3. §. si tamen, ff. de libero homine, l. 1. Cod. qui accusare. Vel si constet judicem pecuniâ corruptum sententiam dixisse, Cironius in parat. ad hoc titul. quo casu & ab ipso accusatore accusatio repeti potest, argumento legis 1. Cod. de pen. judic. qui male judic. docuit Cujac. in l. 9. Cod. de accusationibus.

Sed adhuc supra traditis obstat textus in cap. felicitis, §. per hoc, de penis in 6. in illis verbis, Per hoc quoque secularibus Potestatibus non admittimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversus sacrilegos Catholici Principes ediderunt. Ex quibus deducitur, condemnatum in uno judicio posse accusari, & condemnari in alio, seculari videlicet: ergo quia accusatus, & condemnatus ex eodem delicto iterum accusari potest. Pro cuius textus expositione sciendum est, satis controversum esse inter DD. utrum in delictis mixti fori accusatus, & condemnatus coram iudice ecclesiastico possit denuò puniri à iudice ecclesiastico, vel è contrâ? & puniri non posse, probarunt Abbas, Felinus, Barbatia, Alciatus, Covarruv. Gomez & Gutierrez congesti à Barbofa in collect. ad dict. cap. felicitis, num. 37. plures congesti à Valenzuela consil. 131. num. 11. Agia de exhib. auxiliis, fundam. 25. Cancerus lib. 3. var. cap. 19. à num. 61. Pereyra de manu Regia, part. 2. cap. 10. num. 12. D. Joseph. Vela in cap. 1. part. 2. de offic. or din. num. 135. qui moventur

21  
Disfol.  
vint  
dubia.  
de r. tit.

9.  
Exponit  
in cap.  
felicitis,  
de penis  
in 6.

ventur ex eo textu, & ex cap. 2. de maledic. l. placet 4. Cod. de sacros. Eccles. ex eo, quia si ob delictum mixti fori pœna capitalis imponenda est, iudex Ecclesiasticus non potest talem sententiam ferre, cap. sententiam, ne Clerici, vel Monachi. Unde ut debere & condignè puniatur talis reus, debet adiri Iudex secularis, ex l. si quidem 13 ff. de officio Proconsul. l. 3. ff. de officio Praefect. Vigil. l. 2. Cod. de sportul. ubi docetur, quod quando ex defectu jurisdictionis non potest unus iudex certam pœnam imponere, recurritur ad alium, qui eam imponere valeat. Contrarium tamen, immò præsentem assertionem procedere etiam in delictis mixti fori, docent Glossa in dict. vers. ex hoc, Beronius hic. num. 23. Bobadilla lib. 2. polit. cap. 17. num. 98. Suarez de Paz, & alii apud Barbof. in dict. cap. felices, num. 38. pro qua sententia faciunt generalia verba præsentis textus, & in dict. l. licet, ff. nauis, cauponas. Deinde quia in criminibus mixti fori uterque iudex, tam Ecclesiasticus, quam secularis, competens est, ita ut locus sit præventioni, ut probat D. Joseph. Vela in cap. 1. de offic. ordin. Igitur sententia prolata à quolibet ex eis, efficax est. Sed placet media sententia, quam sequitur D. Joan. Vela ubi supra, ut videlicet in delictis atrocioribus, in quibus sanguinis pœna imposita est, laicus condemnatus à iudice Ecclesiastico, à seculari puniri possit: de quo delicto exaudiendus est textus in dict. cap. Felices: & si ad delictum etiam grave referre nolis textus in dict. cap. de maledicis, dici potest, textum illum non agere ab-

solutè de pœna ad publicam criminis vindictam, sed magis de pœnitentia ad satisfactionem divinæ Majestatis imponendam, quæ ibi nunc pœna, nunc pœnitentia dicitur. Et si textus accipiatur de pœna publica fori exterioris, responderetur, in vers. ex-temporalem, agi de temporali potestate, cuius auxilium Iudex Ecclesiasticus implorare valet, non ut iudicet, aut cognoscat de ipsa causa, sed ut exequatur sententiam à Iudice Ecclesiastico prolatam juxta tradita in c. 1. de officio ordin. Minus obstat textus in dict. l. placet; nam si juxta communem sententiam accipias verbum illud, Acrimonia, pro excommunicatione, responderetur excommunicationem non esse pœnam ordinariam criminis ad publicam vindictam, sed magis censuram medicinalem ad correctionem & emendationem, cap. 1. de sentent. excomm. in 6. ac proinde per eam nec tollitur, nec impeditur accusatio criminis ad vindictam publicam. Deinde (quod & probabilius videtur,) in eo textu per acrimoniam non intelligitur excommunicatio, sed pœna quæcumque imposita à seculari iudice, ut post alios notavit Tiraquel. de retract. titul. 1. §. 1. gloss. 8. numer. 28. & ita sensus est, quod reus, de quo illic agitur, ultra aliam pœnam, quæ sacrilegis imponitur, subijciatur etiam exilio perpetuo; sed in quo iudicio, non exprimitur, & consequenter intelligi debet in iudicio competenti, in quo sacrilegus ille iudicari, & condemnari potest, ut docuerunt relati à Cenedo in collect. 113. ad Decretal.

## C A P U T VII.

## a Stephanus Papa.

Repellantur ab accusatione cohabitantes inimicis, quia infestationes blasphemix affectio amicitix incitare solet.

## N O T Æ.

a. **S**tephanus.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 7. & ex epistolis Stephani citantur hæc verba à Carnotensi p. 6. Decreti, & reperitur in secunda epistola ipsius Pontificis omnibus Episcopis missa: & quia diffusa est, & pro majori parte reperitur apud Gratianum transcripta in cap. accusatores, 3. quest. 5. cap. nullus anathema, 3. quest. 4. cap. scripta 3. qu. 8. cap. Urbes, 80. dist. cap. ultra 3. quest. 6. cap. neganda 3. qu. 11. cap. Clericus 3. qu. 4. cap. quarendum 2. qu. 7. cap. accusatorem 1. qu. 4. eam non transcribo: extat cum aliis ipsius Pontificis tom. 2. Concil. Bini. Stephanus hic electus fuit in Summum Pontificem die 7. Aprilis Anno 257. & martyrio coronatus Romæ die 2. Augusti, anno 260. de quo plura Baronius tam in Martyrol. quam tom. 2. annal. Pamelius in notis ad D. Cyprianum, qui de questione habita inter ipsum & Cyprianum latè agunt.

## COMMENTARIUM.

a. **J**ure civili, etsi inimici capitales à testimonio dicendo repellantur, l. 3. ff. de testibus, authent. dicatur, alias si testis, C. eod. tit. non tamen ab accusando reperitur prohibitus in l. qui accusare, ff. de accusat. l. qui iudicio, C. qui accusare, ubi

aliæ personæ, quæ ab accusando arcentur, referuntur. Nec valet argumentum à teste ad accusatorem; quoniam non ut ex fide testis, ita ex fide accusatoris salus rei pendet: immò plerumque eodem jure attento, infensissimus accusator erat, ut ex Tullio de divinitate probat Anton. Matthæus de crimin. ad tit. de accusat. cap. 1. num. 11. attentis verò sacris Canonibus inimicus repellitur ab accusando, cap. 2. 3. & 4. 3. quest. 5. cap. cum P. cap. cum oporteat, cap. meminimus, hoc titul. quia crediderunt Ecclesie Patres, inimicos malo animo, & potius propriæ vindictæ causâ, quam lucrandi fratris gratiâ, aut ejus emendationis causâ, ad iudicium venire, ut latè probarunt Decianus lib. 3. tract. crimin. cap. 25. per totum. Farinac. in praxi, quest. 12. num. 38. Jul. Clarus recept. sentent. §. final. qu. 14. num. 17. quæ prohibitio extenditur etiam ad habitantes cum inimicis, cap. 3. 3. qu. 5. ibi: Vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis morantur. Et cap. 5. 3. quest. 3. & lib. 7. capitul. Caroli, cap. 132. ibi: Non sunt illi testes recipiendi, nec accusatores, qui cum inimicis morantur, vel quos ipsi de domo produxerint. Et in addit. titul. 3. cap. 7. ibi: Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non est credendum. Synodus Nicæna can. 23. & can. 45. ibi: Nec accusatoribus suspectis, & de inimicorum domo prodeuntibus est credendum. Quia facile ipsi infesti creduntur, & ejusdem animi, & voluntatis, ac inimici, cum

cum quibus habitant. Faciunt textus in l. liberi, C. de inofficiis. testam. l. 1. §. cum patronus, ff. de officio Prefect. Urb. Ob quam etiam rationem si Advocatus partis adversæ sit familiaris Judicis,

rectè recufatur, cap. 1. ubi latè probavi, de officio judic. Qui autem dicantur inimici, ut ab accusando repelli possint, latè profequuntur Decian. Farin. & Jul. Clarus ubi supra

## C A P U T VIII.

<sup>a</sup> Ex Brochardico Lib. XLIII.

**A**ccusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace hoc feceris, XL dies in pane & aqua (quod <sup>b</sup> carena vocatur) cum septem <sup>c</sup> sequentibus Annis pœniteas. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, per <sup>d</sup> tres debes quadragesimas pœnitere.

## N O T Æ.

1. <sup>a</sup> **B**rochardico.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 9. sed legendum est, ex Brochardico lib. 19. ubi textus ita legitur. Accusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace, quadragesima dies in pane & aqua, quod carenam vocant, cum septem sequentibus annis pœnitere debes. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, tres quadragesimas per legitimas ferias pœnitere debes. Quem textum cum aliis illius libri transcripsit Burchardus ex Pœnit. Romano, c. 25. ubi ita habetur: Accusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace, quadragesima dies in pane & aqua, cum septem sequentibus annis pœnitere debes. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, tres quadragesimas pœnitere debes per legitimas ferias. Quæ verba si rectè conferantur cum supra relatis à Raymundo, facile constabit, ea verba hoc feceris, deesse in aliis eodemicibus, & etiam deesse ultima illa verba, per legitimas ferias. De hoc decreto Burchardi, & ejus autoritate nonnulla adduxi in apparatu ad hæc commentaria, de Pœnit. Romano & ejus utilitate jam nonnulla notavi in cap. 3. de furtis. Et licet hodiè nō sint in usu canones illi pœnitentiales, adhuc tamen eorum notitia non est inutilis, aut otiosa, ut docuerunt Joannes Andreas in cap. 2. de emptio. & vendit. Anton. August. in hoc textu, qui asseruit præfenti capite sine magno dispendio nos carere potuisse: à quo accipit Gentilis de libris jur. Canonici, fol. 40. nam Confessariis valdè utilis est notitia horum Canonum, ut agnoscant peccatorum gravitatem, & pro arbitrio sibi relicto pœnitentiam salutiferam illis imponant, ut observant Panormitanus in fin. de pœnit. Navarrus in manuali, cap. 26. num. 19. Et in Conciliis Colonienfi & Mediolanensi sub D. Carolo, p. 1. tit. 9. valdè Confessariis commendatur istorum Canonum notitia.

2. <sup>b</sup> Carena.] Hujus vocis etymon, & significationem adduxi in cap. 2. de spons. duorum.

<sup>c</sup> Sequentibus annis.] Non intelligas Annos continuos, ut per singulos dies pœnitentia agi debeat, sed per quosdam dies in unaquaque hebdomada, qui vulgò legitimæ feriæ dicebantur, ut feria 2. 4. & 6. juxta caput de illis 11. quæst. 5. ubi Glossa cap. 1. junctâ Glossâ verbo Legitimas, 22. quæst. 5. Couarruu. lib. 4. var. cap. 20. num. 8. Soto, & alii congesti à Cenedo collect. 9. ad Decretales, num. 4. juxta quorum sententiam Canones omnes, qui agunt de pœnitentia per annos, aut dies peragenda, nec modum exprimunt, quo

adimpleri debeat, intelligendi sunt de pœnitentia per jejunia, aut similia opera certis hebdomada diebus Confessoris arbitrio adimplenda.

<sup>d</sup> Tres quadragesimas.] Non intelligas quadragesimas trium annorum, quasi singulæ ad singulos annos referantur, ut hodie in usu sunt, ex c. quadragesima, de consecr. dist. 5. sed accipiuntur pro tribus quadragesimis in singulis annis, prout olim observabantur, scilicet una ante Nativitatem Domini, alia ante resurrectionem, tertia ante festum Divi Joannis Baptistæ, ut notavit post Jul. Laurum Barb. in præfenti: de quibus quadragesimis egi in cap. conquisitus, de feriis.

<sup>e</sup> Pœnitere.] Licet pœnitentiæ pro foro interiori non sint hodie in jure pro singulis peccatis præscriptæ, sed omnes relinquuntur arbitrio prudentis Confessarii, juxta eorum gravitatem, personarum qualitates, & alias circumstantias, cap. Deus, cap. omnis de pœnit. & remiss. ut post Div. Thomam docet Navarr. in manuali, ca. 26. n. 17. pluribus relatis Cenedo dist. collect. 9. num. 5. & colligitur ex Trident. sess. 14. c. 7. primis tamen Ecclesiæ temporibus per Canones pœnitentiales quibusdam criminibus certa & præscripta erat pœnitentia, ut constat ex pœnitentialibus Rom. Bedæ, & aliis compilatis, & notis illustratis ab Anton. Augustin. ad calcem epitomes juris Pontificii. Et licet vulgò tradi soleat, per Canones illos pro quovis peccato mortali impostam fuisse pœnitentiam septem annorum, ut docuit Glossa penultima in c. ult. 22. q. 1. quam communiter receptam esse constat ex Navarr. ubi supra, num. 17. Cenedo dist. collect. 9. num. 4. pro quibus expenditur id quod habetur lib. 2. Regum, cap. 12. & refertur in cap. hoc ipsum, 3. qu. 3. & quod habetur cap. 4. Danielis: id tamen non satis probatur aliquo Canone, nec verum esse, post Divum Thomam probat Navarr. ubi proxime, pro quo expendi potest præfens textus, qui ut supra notavi, deductus est ex dicto Pœnitent. Romano, agitque de peccato mortali; & tamen non imponit pœnitentiam septem Annorum, sed majorem, ut in priori casu; vel minorem, ut in posteriori. Nec tunc obstat textus in d. c. hoc ipsum, vers. hinc etiam; quia in eo agitur non de quocunque peccato mortali, sed de vitio, aut criminibus gravioribus, ut sunt perjurium, adulterium, & similia juxta caput Apostolus, 81. dist. pro aliis enim etiam mortalia sunt, non imponebatur septennii pœnitentia, ut advertunt Sotus & alii congesti à Cenedo ubi proxime.

COMMEN.

## COMMENTARIUM.

Omnes de accusationibus scribentes, & alii plures Moralitæ disputant, licitumne, an honestum sit accusatorum officium? Et an in utroque foro impunè liceat reum criminis accusare? Et licitum ac honestum esse reum criminis in iudicium deferre ad vindictam publicam, probatur ex eo, quia dum ita criminosi accusati coercentur, virtutis actus exercetur, quies, & bonum Reipublicæ intenditur, & conservatur, dum crimina vitantur; & cum criminosi pœnis afficiuntur, reliqui cives meliores redduntur, ut latè probavi in cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. sententiam, ne cleric. vel Monach. faciunt textus disertissimi si quis in hoc genus 10 ibi: Sitque cunctis laudabile: & l. nulli 38. ibi: Tam laude, quam honestate, & ac pariter pietate non careat; C. de Episc. & Cleric. cap. & qui emendat. 25. dist. cap. quapropter, 2. q. 7. c. si quis per capillum. 22. quæst. 1. cap. si quis Prælati 23. qu. 4. cap. si quis contristatus, 90. dist. 1. 1. C. de famosis libellis, l. eum qui 18. vers. peccata, ff. de iniuriis: docet Divus Thomas 2. 2. quæst. 68. art. 1. & communem dicit Sotus de regendo secreto membro 2. quæst. 5. & lib. 5. de iustit. qu. 5. art. 1. Paz in praxi, tom. 1. p. 4. cap. 3. num. 1. usque ad 6. Gibalinus de negotiatione tom. 2. lib. 6. cap. 3. art. 5. Gomez de delict. lib. 3. cap. 1. num. 9. Covar. lib. 1. variar. cap. 10. num. ultim. & lib. 2. cap. 11. num. 7. Decianus tract. crimin. lib. 3. cap. 4. & constat, quia plerumque in iure præmia accusatoribus præstantur, l. 1. §. accusatoribus, C. de falsa moneta, l. non omnes, in fine, ff. de remilit. l. edito, §. heredes, ff. de iure fisci, & aliis. Contraria tamen sententia, videlicet accusatorum munus iniuriosum, ac exitiosum esse, maxime fidelibus Christianis, suaderet ex cap. si quis Episcopus 2. quæst. 7. ubi accusatio dicitur genus illaudabilis intentionis. Et quod accusans plus invidiæ quam charitatis stimulis incitetur, refertur in cap. somnia 6. quæst. 1. Deinde quia accusator per accusationem fit inimicus, cap. accusatores, 3. quæst. 5. §. item propter, Insti. de excus. iur. & insuper accusator exponit se periculo sustinendi pœnam talionis, cuius ratione accusationi subscribit, c. super his hoc iur. Deinde passim in iure Clerici, & alia personæ repelluntur ab accusatione, cap. l. cum sequenti. 2. quæst. 7. & si accusatio licita, honestaque esset, nullus ab ea repelleretur. Tandem quia alienum videtur à perfectione christiana, alium fortasse jam emendatum de crimine accusare, contra illud Matthæi cap. 5. Ego autem dico vobis, non resistere, &c. & cap. 6. ibi: Si non dimiseritis, &c. & Pauli ad Romanos cap. 12. ibi: Non vos defendentes, alias vindicantes charissimi, sed date locum iræ. Tandem facit præfens textus, ubi gravis poenitentia imponitur accusatoribus, si pœna capitalis sequuta sit; modò lenior, si pœna non ita gravis sequuta sit. Faciunt alia, quæ adduxi in can. 70. Concil. Illiber. quæ huc consultò non repeto.

Sed adhuc prior sententia retinenda est, pro cuius expositione notari oportet, quod licet accusatio ex parte accusatoris censeatur periculosa, eo quod non facile fit ubi & quando, & ut oportet; tùm quia, ut advertit Soro d. conclus. 2. accusator rarò habet animi rectitudinem ad zelum iustitiæ, & plerumque movetur odio; tùm etiam quia in multis aliis difficile est servare omnes debitas circumstantias, tam ratione personarum,

quæ accusant, & accusantur, quam respectu temporis, loci, & similibus; quam ob causam cautè procedere debent accusatores, ne ad iudicium profiliant nisi bono animo, & servatis servandis, ut quam unquam effugiant iniustitiam suspicionem. Tamen hac sententiâ retentâ, non obstant fundamenta contrariâ. Non primum deductum ex dist. cap. si quis Episcopus, cap. Simonia. Nam textus illi procedunt in accusatione absque debitis circumstantiis proposita. Quo casu accusatio iniusta est, non quia illicitum est accusare, sed propter malitiam accusantis, & ejus improbum animum. Nec obstat, accusatorem inimicum manere; nam id non provenit ex eo, quia accusator inimicus verè sit, sed quia plerumque, & attentâ hominum opinione solent ex accusatione præsertim gravi, inimicitia & discordia oriri inter accusatorem, & accusatum, quemadmodum ex eadem ratione quoad plures juris effectus censentur inimici, qui super omnibus bonis, vel majoriorum parte civiliter litigant, dist. §. item propter. Quam æquiparationem probant disertè textus in authent. si testis, vers. si verò, C. de testibus, cap. 1. de restit. spol. lib. 6. in fine princip. Et tamen nemo negat, iustum, & licitum esse civiliter agere, & litigare super omnibus bonis, vel majoriorum parte, dummodò iuste fiat. Nec obstat, quod Clericis, & aliis personis prohibetur accusare; nam id non provenit ex eo, quia iniustum sit, sed quia similibus personis indecens est, ut etiam alia illis prohibentur in cap. 1. de fidei iuss. cap. 1. & per totum, nec Cleric. vel Monachi: quæ ab aliis personis non inhonestè exercentur.

Nec tandem obstat præfens textus, quem accipiunt Glossa, & communiter repetentes de accusatione non vera, sed calumniosa, & de accusatore, qui falsò accusavit. Quæ interpretatio convincitur, tùm quia ex textu non constat de tali calumnia, quæ in dubio præsumenda non est, præsertim in eo, qui crimen, de quo accusavit, adeò plenè in iudicio probavit, ut reus capitali sententiâ damnari meruisset, ut considerat Mascardus de probat. conclus. 254. num. 12. tùm etiam, quia in illis verbis, nisi propace, excusatur talis accusator, si pro parte, & publico bono fecit; & tamen si per calumniam accusasset innocentem, etiam si pro parte, & bono publico, graviter peccasset, ut probat Divus Thomas 2. 2. quæst. 64. artic. 6. Sotus lib. 5. de iustit. quæst. 1. art. 7. Alii autem, quos refert, & sequitur Covar. in Clement. si furiosus, part. 2. §. 5. num. 4. accipiunt textum hunc tantum in Clericis accusantibus. Verùm hæc interpretatio eodem divinationis vitio laborat, cum generaliter agatur in hoc textu de quolibet accusatore, nullâ Clerici, vel laici factâ mentione. Accedit, quia Clericus præmissâ protestatione, de qua in cap. 2. de homicid. lib. 6. ritè reum criminis in iudicium deferat: undè textus hic ad Clericos tantum referri non potest. Quare his ommissis placet communis interpretatio eorum, qui Canonem hunc accipiunt de eo accusatore, qui iure reum criminis accusat, & per veras probationes convincit, sed pravo animo, ex rancore, & odio, ut se ulciscatur ex privata vindicta, & damnum inferat accusato, quem interfici, vel debilitari ex odio procurat; & ita accusat, non ut Reipublicæ, & ejus paci consulat per publicam vindictam, qui propter finem leth. liter

7.  
Præfens  
textus  
vari  
interpretationes.

lethaliter malum graviter peccat, *cap. ea vindicta. 23. quest. 4. cap. cum minister 23. quest. 5. D. Thomas 2. 2. quest. 68. artic. 1. docet Decianus lib. 3. tract. crimin. cap. 4. num. 5. expendens illa verba Platonis in Euthypæo: Sanctum est in iudicium trahere eum, qui iniuste aliquid egit, vel circacades, vel sacrilegia, sive pater, sive mater, seu quisvis deliquerit, modo id faciat, ut patriam quis velur peste quadam liberet.* Merito ergo in præsentis sic ex odio, & pravo animo accusans, ad mortem, seu membri debilitationem, ut graviter delinquens, punitur.

8.  
Defen-  
ditur  
vera in-  
terpre-  
tatio.

Nec obstat si dicas, interpretationem hanc in idem vitium incidere, ac superior Glossæ intellectus: tum quia sicut calumnia non præsumitur, ita nec pravus animus, odium aut privata vindictæ zelus præsumi debet: tum etiam quia similiter verba illa *pro pace*, innuunt accusatorem, de quo in præsentis, pro bono pacis accusantem nullâ penâ esse afficiendum; & tamen si pravo animo, & odio, quamvis pro pace accusaverit, graviter peccat; quia malum, seu malè facit dum pravo animo, & odio, & ad finem privatæ vindictæ pacem, & bonum Republicæ intendens accusat, ut ex D. Thoma & aliis probat Covarru. *lib. 2. var. cap. 10. num. 7.* Licet enim non sufficiat, quod finis sit bonus, ut ipse quoque actus bonus dicatur, *cap. forte, cap. denique, 14. quest. 5.* sufficit tamen finem esse malum, ut etiam actus, quamvis aliàs bonus, malus sit, ut probant Boerius in præsentis. Navarr. in *dict. cap. denique.* Nam adhuc defendenda est communis interpretatio, pro cuius expositione sciendum est, pacem in præsentis non accipi pro ea, quæ opponitur bello, de qua egi in *cap. 1. de treug. & pace*: sed pro tranquillitate, seu quiete communi, & ita pro bono publico, juxta Aretinum & omnes repetentes in præsentis. Deinde notandum est, dictionem *nisi*, non tam accipi in præsentis exceptivè ad denotandam exceptionem pro præterquam, verum etiam pro *si non*, ut in *l. femina 8. ubi Glossa 2. ff. de Senator. l. 2. C. si mancipium.* Tradunt Albericus in *dictionar. verbo Nisi*, Barbola de *dict. eod. verbo* Et in ipso pœnitentiæ Romano accipitur pro *& non*, dum in *cap. 5. de contemptu jejuniis*, ita legitur: *Solvisti jejunium in quadragesima, antequam vespertinum celebraretur officium, nisi propter infirmitatem, si fecisti, pro unoquoque die, &c.* His prætermisissis dum textus hic ait: *Accusasti hominem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace, id est pro quiete, & bono communi; vel si non pro quiete, & bono communi; vel & non pro quiete, & bono communi;* perinde est ac si dicat, accusasti hominem, & per tuam accusationem occisus est, si malo animo, & ex odio accusasti, &c. nam quando principaliter accusat ad mortem, vel debilitationem, & sic ad pœnam publicam, non pro pace, & bono communi, nec ad publicam utilitatem, cum nequeat ad suum commodum propriè accusare, quamvis civiliter agere valeat; necessariò accusat ex odio, & pravo animo, ad privatam vindictam; non verò ad utilitatem publicam: & ita verba illa, *nisi pro pace*, non limitant decisionem hujus textus, sed qualificant verbum *Accusasti*, & accusatio-

nem de qua hic, ac proinde continent requisitum, & qualitatem omninò: & in hunc sensum verba illa, *nisi pro pace*, non ponuntur in fine textus post præscriptam pœnitentiam, sed in principio, ut ita significetur, per Canonem hunc imponi pœnitentiam accusanti non pro pace, aut animo pacis, sed pro odio; & consequenter textum hunc non limitari in eo, qui pro pace, & bono animo accusat, sed in eo tantum procedere, qui non pro pace & bono zelo, sed è converso accusat: & ita defenditur communis interpretatio, & cessat utraque difficultas supra expensa; siquidem ex prædicti verbis, *nisi pro pace*, rectè intellectis, colligitur textum hunc agere tantum de eo, qui pravo animo accusat; & per ea verba non limitari ejus sanctionem, sed concludi, illum in eo casu procedere. Et si Vincentius Abbas *num. 1.* Aretinus *num. 2.* aliter accipiant verba illa, *pro pace*, referendo non ad verbum *accusasti*, sed ad sequentia ibi, *pœnitere debes*, quasi in hoc textu non agatur de eo qui pro pace accusavit, sed de illo, qui pro pace pœnitere non debet; & ita sensus sit: pœnitere debes, nisi pro pace, id est pro componenda pace, vel sedando scandalo pœnitentiam omitas; inde inferentes pœnitentiam aliàs necessariam omitti posse pro pace componenda, & scandalo sedando; quemadmodum ex eadem causâ plura alia omittuntur, *cap. nisi, vers. pro gravi, de renunciat. cap. 2.* ubi notavi, de *rescript. cap. 2. de despons. impub.* Sed intellectus hic facile refellitur ex verbis illis, *nisi pro pace hoc feceris*; quæ necessariò referenda sunt ad accusationem, nec referri possunt ad pœnitentiam omissam; quia si adhuc referrentur, diceret textus, *nisi pro pace non feceris.* Undè inferitur, textum hunc non procedere ubi quis principaliter pro pace & bono communi accusat, & tamen secundariò, & minus principaliter, per humanam fragilitatem habet qualemque pravam animum nocendi accusato ex vindictâ privata; nam is animus, qui non mortale, sed veniale tantummodò peccatum gignit, ut resolvunt Covarru. *ubi supra*, Navarr. in *manuali, capit. 25. num. 31.* non meretur gravissimam pœnitentiam, de qua hic, imponendam tantummodò ei, qui principaliter, non pro pace, & bono communi, sed per contrariam accusat; idque satis significant verba illa, *nisi pro pace*, quæ sunt intelligenda principaliter, argumento legis. §. 1. junctâ Glossâ *verbo Singulorum, ff. de just. & jur. l. de unoquoque 37. junctâ Glossâ 2. ff. de re judicata.* Nec obstat, quod juxta hunc communem intellectum, si textus hic agit de eo, qui odio, & pravo animo accusat, si ultra expenditur, quod per hujusmodi accusationem reus capite damnatus, vel debilitatus sit: quia licet neutrum ex his duobus contingat, immò et si reus absolutus sit, adhuc accusator, ut potè mortaliter peccans, pœnitentiam subire debet. Nam responderet fatendo, pœnitentiam esse imponendam accusanti ex pravo animo, et si reus absolutus sit; non tamen eam, quam præsens textus præstabit accusanti ex pravo animo, cum sententia capitalis sequuta est.

\*\*

## CAPUT IX.

Augustinus <sup>a</sup> *super Genesim de morte Abel.*

Evidentia perpetrati sceleris non indiget clamore accusatoris.

## NOTÆ.

<sup>1.</sup> **A**ugustinus. ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo. cap. 11. Et licet verba hujus textus non reperiantur inter opera D. Augustini, extant tamen in glossa interlineari in cap. 4. Genesim, ad illa verba: *Vox sanguinis clamavit ad me de terra.* In quorum verborum scholio leguntur verba in presenti relata, forsitan quia Glossa interlinearis deprompta est ex operibus Divi Augustini ut jam notavi in cap. 3. de constit. Indè constat ex iudiciis ad evidentiam perveniri posse; nam cum in presenti casu tantum adessent iudicia, quia videlicet ambo fratres conjuncti foris exierunt, & Cain arma deferebat, majorque erat, quam Abel, evidens fuit illum fratrem occidisse ex iudiciis indubitatis, de quibus in l. final. C. de probat. & notatur Jul. Clar. §. final. q. 4. num. 3. Regens Sanfelicius l. p. dccij. 28. num. 2.

## COMMENTARIUM.

<sup>2.</sup> **E**X hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Super notorio procedit Index nemine accusante.* Probant eam textus in cap. manifesta, cap. qua Lotharius, cap. de manifesta, cap. penult. §. final. cum cap. sequenti. 2. quest. 1. cap. nullus. §. aliquando. 4. quest. 4. cap. bona. 23. §. porro de elect. cap. ad nostram 31. de iurejur. cap. tua, de cohabit. Cleric. cap. 3. de eo qui cognovit consanguin. cap. penult. de purgat. vulgar. cap. 1. de offic. deleg. in 6. Clement. Pastoralis, de re iudic. cap. Deus 2. quest. 1. cap. de illicita 24. quest. 1. cap. unic. ut Ecclesiastica beneficia. Illustrant ultra congestos à Barbofa in presenti Antonius Gomez lib. 3. var. capit. 1. num. 41. ubi plures Ayllon. Balboa in cap. 1. de caus. possess. num. 87. & in cap. cum special. 1. 61. de appellat. num. 35. Vighel. in method. jur. Can. fol. 84. Frances in pastoralis, quest. 2. num. 14. Cuiac. ad tit. de rebus cogend. Leon contra Warandum cap. ult. Hunnius in encyclop. part. 2. tit. 45. plures, quos congerit Salgado de Regia protect. part. 3. cap. 14. num. 47.

Sed pro dubitandi ratione ita in presentem assertionem infurgo. Sine legitimo accusatore non est aliquis puniendus, cap. 1. ubi late probavi, hoc titulo. ergo etsi detur evidentia criminis, nemine accusante, non est reus puniendus. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam in notoriis ad hoc citatio desideratur, cap. Deus omnipotens 2. quest. 1. cap. de illicita 24. quest. 4. Gomez dict. cap. 1. num. 46. Balboa in dict. cap. 1. de caus. possess. & propriet. num. 87. & sententia est proferenda, dict. cap. de manifesta, cap. cum sit Romana, de appellat. cap. penult. de purgat. Canon. Ergo etiam si per evidentiam facti consistet de crimine, adhuc ordo iudiciarius servandus est, & per consequens accusatio desideratur.

<sup>4.</sup> Quæ dubitandi ratione non obstante vera est presentem Augustini sententia, pro cuius expositione sciendum est, quod licet manifestum ali-

quandò accipiatur pro eo, quod opponitur tam seu notorio, quàm occulto, & sic pro manifestabili, l. cives, 11. junctâ Glossâ 2. C. de appellat. l. iubeo- mus 29. in princip. C. de testam. frequentius ta- men accipitur pro eo, quod est publicum, evi- dens, seu notorium, l. manifesta, ff. de iurejur. cap. manifesta 2. quest. 1. cap. vestra, de cohabit. Cleric. cap. Romana, §. sin autem, de appellat. lib. 6. probant Abbas, & Joannes Quintinus in c. cum olim, de V. S. & ita notorium, manifestum, publicum, evidens, patens, & indubitatum synonyma sunt, idemque important, ut constat ex d. cap. manifesta, dict. cap. ad nostram, de iurejur. cap. cum olim 13. cap. super eo 31. de V. S. cap. si fortè 11. de elect. lib. 6. junctâ cap. 2. de V. S. eod. lib. do- cent Mascardus de probat. conclus. 1105. Farina- cius in praxi crimin. quest. 21. Villadiego in l. 3. num. 9. tit. 1. lib. 6. fori, Moneta de conservat. cap. 7. num. 109. Nec contrarium probat textus in l. quoniam, C. de iure delib. ibi: *Manifestum ac evidens est antequam, & c.* per quam plus esse e- videns, quàm manifestum, notavit Rebuffus in l. natura verbo Evidenter, ff. de V. S. Quia respon- detur manifestum in eo textu accipi pro manife- stabili, & quod probari potest; non verò pro pu- blico, seu notorio: licet juxta etymologiam verbi, & strictè loquendo evidens dicatur, quod oculis videri potest, & vi sui patet. Nam evidens perci- pitur per sensum visus, quia, ut aiebat Poëta:

*Segnius irritant sensus dimissa per aures,  
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

Et subjacet sensui nostro, ut cum dies est media, evidens est esse diem. Notorium autem adhuc subjacet iudicio intellectus; nam tam in notorio juris, veluti post rem iudicam; quàm in notorio facti, veluti cum Clericus habet domi concu- binam, & ex ea filios suscipit, adhuc aliquis dubitare potest de facto, & ita notorietas à re ipsa se- parari valet, quod in evidenti non procedit: & ita valdè differt evidens à notorio; in quo sensu id quod evidens est, multò certius, & clariùs ha- betur, & probatio per evidentiam cæteris præ- fertur, l. si irruptione 8. in fine, ff. finium Regund. l. periculis 34. §. Neratius, ff. de auro & argent. Illustrant Caldas in l. si curatorem, verbo Memori- bus, num. 8. Mascardus de probat. in princip. qu. 8. num. 3. inde inferentes legem excludentem pro- bationem in aliquo casu, nunquam excludere eam, quæ fit per evidentiam, & per aspectum; nihilominus tamen lato modo etiam evidens di- citur, quod clarum, & certum est, ac si oculis cerneretur: sic evidens Ecclesiæ utilitas dicitur in cap. 2. de Cleric. non resid. lib. 6. & in cap. 1. de rebus Eccles. eod. lib. l. 2. ff. de constit. Principum: evidens calliditas in l. & eleganter, §. ultim. ff. de dolo: evidens exceptio in l. 3. §. ibidem, ff. ad ex- hibendum. Sicut etiam ea quæ apparent ex conje- cturis admodum perspicuis, & jure probatis, de quibus moraliter dubitari nequit, evidentia di- cuntur in l. pluribus 33. l. licet 74. §. si non sit, ff. de legatis 1. Vultei volum. 4. consil. 25. num. 116. Menochius



Menochius lib. 2. de præs. quæst. 45. cum aliis congestis à Tiraq. in l. si nunquam, verbo Donatio-  
ne num. 158. C. de revoc. Molin. de primog. lib. 3.  
cap. 4. num. 39. P. Barb. in l. si constans 24. num.  
64. ff. solut. matrim.

Deinde sciendum est, notorium, publicum,  
seu evidens, aut manifestum, prout unum est, &  
unum importat, frequentius dividi in notorium  
juris, quod subdividi solet in notorium proba-  
tionis, & fidei vel dispositionis, ac præsumptio-  
nis, seu fictionis; & in notorium facti, quod rur-  
sus subdividitur in notorium facti permanentis,  
seu existentis, & facti transeuntis, seu momenta-  
nei; & denique facti interpolati, quod non est  
permanens, nec continuum, nec absolute tran-  
siciens, sed interpolatum, ac proinde inter duo  
priora velut medium: quas species, seu membra  
explicat Mascardus, & Farinac. ubi supra. Illud  
tamen summè notandum est, quod ut aliquid no-  
torium, publicum, seu evidens dicatur, necessariò  
requiritur certitudo, & sic scientia, per quam  
illud omnibus, vel pluribus certum sit; nec suffi-  
cit existere famam publicam ea de re apud om-  
nes, vel plures; siquidem talis fama non facit  
rem, de qua agitur, publicam, aut notoriam.  
Desideratur, ergo ut aliquid notorium, seu evi-  
dens dicatur, quod omnibus, vel pluribus notum  
sit, ita ut populus, vicinia, vel major ejus pars  
testis existat, d. c. qua Lotharius, ibi: Oculis om-  
nium: & cap. si qui, ibi: Omnes enim: & cap.  
ultim. ibi: Omnibus, 2. quæst. 1. Dubium tamen est,  
quoniam personæ desiderantur, ut multitudinem  
constituant ad notorium, seu publicum efficien-  
dum; Et communiter placuit, quod cum id à jure  
præfinitum non sit, succedit Regula legis primæ,  
ff. de jure delib. cap. de causis 4. §. 1. de offic. delegat.  
juxta quam totum relinquatur arbitrio judicis, qui  
perpenis circumstantiis loci magni, vel exigui, &  
personarum, numerum necessarium declarabit, ut  
pluribus relatis resolvunt Menochius de arbitrar.  
casu 160. num. 7. Mascard. conclus. 1107. Farinac.  
in praxi. quæst. 18. ex num. 104. Ayllon ad A. Go-  
mez, dict. cap. 1. num. 42. Illud tamen summè no-  
tandum est, quod cum multa dicantur notoria,  
quæ non sunt, cap. consuluit, 14. de appell. ubi  
propter dubium, seu negationem necessaria fuerit  
probatio, per quam appareat aliquod factum esse  
publicum, seu notorium, quamvis fama non suf-  
ficiat, sufficit tamen testimonium duorum legitime  
deponentium, qui affirmant factum esse no-  
torium, reddentes rationem concludentem, quia  
coram omnibus, majorive parte factum sit. Nec  
desideratur, quod testificentur omnes illi, qui ad  
notorium efficiendum requiruntur. Glossa penul-  
tima in dict. cap. Deus 2. quæst. 1. Jul. Clarus dict. §.  
ultim. quæst. 9. num. 6. Mascard. conclus. 1109.  
uteriam ad probandam famam publicam sufficit  
testimonium duorum, qui deponant ab omni-  
bus, vel majori parte famam constituentibus se  
audivisse. Glossa verborum fama, in cap. ultim. 1. q. 3.  
& in leg. 3. §. ejusdem, verbo Confirmat, de re-  
sibus.

6. Traditur ratio deciden-  
di. His animadversis ratio præsentis assertionis  
provenit ex eo, nam idè in judicio criminali le-  
gitimus accusator desideratur, ut delictum com-  
missum probetur, & tandem pro meritis reus puniatur,  
omni que occasio fraudis puniendi inno-  
centem, aut absolvendi nocentem amoveatur,  
juxta tradita supra in cap. 1. at verò ubi resevi-  
dens est, nullum datur periculum calumniæ, aut

tergiverfarionis, nec opus est diligentia, aut in-  
dustria accusatoris: igitur tunc frustra desidera-  
retur. Deinde quia delicti evidentià longè magis  
Respublica offenditur; unde non oportet vel dif-  
simulare diutius, vel expectare moram accusa-  
toris; sed statim ad justam vindictam proceden-  
dum est, præcipuè cum idè in notoriis juris ordo  
sit ordinem non servare, cap. per venit, de resibus,  
cap. consuluit, de appellat. cap. olim, el. 1. de resit.  
spol. cap. super eo, de resit. cog. variis ampliacioni-  
bus, & limitationibus illustrat Salgado dict. 3. p.  
cap. 14. faciunt Appius apud Livium lib. 39. ibi:  
Rem evidentem pro dubia non esse querendam. M.  
Tullius in Academ. ibi: Nihil clarius, aut illu-  
strius ipsa evidentià esse potest. Undè rectè in præ-  
senti docetur, evidentiã patrati sceleris non in-  
digere clamore accusatoris.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, cui  
facile responderetur afferendo, neminem damnari  
sine accusatore, vel aliquo, qui loco accusatoris  
habeatur à jure, qualis est hoc casu infamia pub-  
lica, seu evidentiã patrati sceleris. D. Thomas  
2. 2. 19. q. 67. art. 3. Undè rectè per æquipollens  
adimpletur necessitas accusatoris. Nec obstat au-  
gmentum ipsius difficultatis, nam licet in noto-  
riis juris ordo non sit observandus, tamen adhuc  
in eis aliqua juris requisita desiderantur, veluti ci-  
tatio, quæ requiritur, ex traditis in cap. 1. de caus.  
posse, & intercessisse supponitur in cap. dudum 22.  
de elect. & in facto Apostoli relato in cap. cum sit  
Romana, §. final. de appellat. ut docuit Balboa in  
dict. cap. 1. de caus. posse, ff. num. 88. Etiam desidera-  
tur aliqua probatio notorietatis, ex supra traditis.  
Et tandem sententia, juxta textus in cap. nos in  
quemquam 2. q. 1. cap. 15. de purg. Canon. Docent  
Turriscrem in dict. c. de manifesta, Anton. Go-  
mez dict. cap. 1. num. 43. ubi plures Ayllon: non  
tamen desiderantur lites contestatio, probatio ordi-  
naria, & similia: nec Judex potest recusari, aut  
à tali sententia appellari valet, ut probat Salgado  
d. cap. 14. ferè per totum.

Sed supra traditis obstat textus in cap. de hoc  
11. de Simonia, in illis verbis: Si verò mani-  
festum est, nec tamen inde convicti, vel confessi fue-  
rint, & tamen publicè laborant infamia, eis Cano-  
nica purgatio debet indicari. Ex quibus expressè de-  
ducitur, quod etsi crimen manifestum sit, adhuc  
pœna ordinaria infligi non potest, sed tantum  
purgatio canonica, quæ ob infamiam tantum in-  
dicitur. Pro cujus difficultatis solutione sciendum  
est, eam differentiam versari inter notorium &  
manifestum, quod adversus notorium, maximè  
facti permanentis, non admittitur ulla probatio,  
ut latè illustrat Mascard. conclus. 1108. Ripol. va-  
riar. resol. cap. 1. num. 66. Gratianus discept. fo-  
rens. cap. 312. num. 18. Carleval. tom. 2. de judi-  
ciis, lib. 1. tit. 2. disput. 2. num. 46. at in mani-  
festis contrarium procedit, quia adhuc probationes  
adversus eos admittuntur, & his deficientibus,  
conjecturæ, & indicia semiproband. Mascard. con-  
clus. 1017. Undè in dict. cap. de hoc, cum crimen  
Simonie manifestum tantum esset, non verò no-  
torium, idè purgatio tantum canonica indici-  
tur. Nec obstat si in istis, in verbis antecedenti-  
bus decrevisse Alex. III. quod si manifestum esset  
delictum Simonie, aut ipsi Simoniaci convicti,  
aut confessi fuissent, deponerentur; quo in casu  
necessariò manifestum accipiendum est pro no-  
torio, siquidem utitur Pontifex disjunctiva aut,  
inter casum, in quo manifestum est crimen, &  
cum

7. Dissol-  
vitur  
dubia.  
diratio.

8. Exponi-  
tur cap.  
de hoc  
de Simo-  
nia.

cum ipsi sunt in iure confessi, vel convicti: ergo in eodem sensu Alexander manifestum dixit in sequenti clausula supra transcripta. Po cuius difficultatis solutione varia adduxit quidam Neothericus in nova interpretatione ipsius textus: sed nisi fallor, vera mens Alexandri III. est, ut si delictum esset manifestum, non notorium, quia tantum fama, & rumore manifestum erat, & exinde, ut legitur in prima collectione, ipsi confessi fuerint, vel

convicti, deponerentur qui confessi, aut convicti fuerant; si autem tantum manifestum erat, quia publicè laborabant infamià, sed convicti, aut confessi non fuerant, purgatio canonica illis indicatur: & ita tam in primo, quàm secundo casu ipsius textus nunquam manifestum accipitur pro notorio, sed tantum pro publico ex fama, aut rumore, quod adhuc probationibus indiget, ut supra dixi.

## CAPUT X.

Alex. III. a Gaetano electo.

Cum P. Manconella, & Bonus Cocci presbyteri, & Joannes Bonus Cocci laicus in nostra essent præsencia constituti, eundem I. quoniam laicus erat, in jam dicti P. accusationem nequaquam admisimus. Cumque præfatus B. eundem P. super crimen simoniæ constantius accusaret, nos eum, quoniam ad b testimonium illius causæ fuit adductus, & quia frater ejus, I. scilicet, jam dictum P. coram te accusaverat, repulimus ab accusatione; præsertim cum frater P. Bonum Cocci antea de causâ consimili accusaret. Unde quoniam unus post alterum prædictum instanti vicissitudine accusabat, neutrum ad ejus accusationem admisimus, sed utriusque de objectis criminibus purgationem duximus inducendam. Inde c siquidem est, quod d. t. per A. f. m. p. m. quat. utrumque illorum se cum tribus sacerdotibus facias infra xxx. dies post harum susceptionem litterarum purgare. Purgatores verò illius honestatis, & opinionis esse volumus, quod verisimile sit eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecuniæ deierare. Ut autem idonei appareant, necesse est, ut ejus, quam purgare debent, vitam & conversationem agnoscant: quod si uterque illorum, vel aliter in purgatione defecerint, tu deficientem omni officio & beneficio ecclesiastico privas, tibi modis omnibus præcavens, quod si qui memorato P. in sua voluerint purgatione assistere, nullam eis malevolentiam, vel indignationem ostendas, nec eos aliquo modo impediatis, vel ab aliis, quantum in te est, impediri permittas.

## NOTÆ.

- a **Gaetano.** ] Ita legitur in prima collectione, sub hoc titulo. cap. 10. in hac verò sexta legitur, Gaet: post Concil. verò Lateran. part. 59. cap. 14. habuit Gaiaensis electo, quam lectionem restituendam esse credit Anton. August. in notis ad hunc textum, quia hodie est urbs parva in Campania hujus nominis: sed cum nulla Galacia, sed potius Calacia, vulgò Caiata dicta, reperitur, & quæ Cathedrâ Episcopali decorata est jam à septimo Ecclesiæ sæculo, ut refert Carolus à Sancto Paulo lib. 1. Geograph. sacra, fol. 55. credo legendum esse Calaciensis, in præfenti, & in cap. cum P. de purgat. canonic.
- b **Ad testimonium illius.** ] Unde deducunt DD. inimicitiam contrahi tecum, si contra me testimonium dicas in causâ capitali. Pro qua sententia expendi potest textus in l. produci 23. ff. de testibus, ubi ait Venuleius: Produci testis non potest, qui ante in eum reum testimonium dixit. Quam doctrinam exponemus infra in cap. meminimus.

c **Inde siquidem.** ] Verba quæ sequuntur extant in cap. P. de purgat. canonic.

## COMMENTARIUM.

EX hoc textu sequens deducitur assertio: **Inimiciis, vel laici clericos accusare non possunt.** Probat priorem partem de inimicis repellendis ab accusatione textus in cap. suspectos, cap. & pro canonica, cap. nullus, vers. Nullus, qui inimicitias: batur. cap. accusatores, cap. accusatoribus, cap. nulli, §. quod verò, cap. ult. §. final. 3. quest. 5. cap. ea vindicta, §. sed huic vindicta, cap. ult. 23. quest. 4. cap. 1. de hæretic. in integra, quam ibi dabimus, cap. 5. 3. quest. 3. Pontianus epist. 1. in princip. ibi: Accusandi non sunt sacerdotes Domini ab infamibus, aut sceleratis, vel inimicis. Joannes Papa epist. 1. circa med. apud Anton. August. lib. 30. epitom. tit. 10. ibi: Inimicis accusatoribus, vel de inimici domo prodeuntibus, seu qui cum inimicis morantur, non credatur, ne irati nocere cupiant, ac læsi se velint ulcisci. Sylvester epist. 1. ad medium, ibi: SS. PP. roborantes decreta statuimus, licet sepius jam statutum fuerit, nec falsos, nec inimicos, suspectos accusatores, vel testes unquam super Episcopos suscipi. Secundam partem de laicis non admittendis contra clericos, probant textus in cap. beatus, cap. sacerdotes, cap. sunt plurimi, cap. quiescite 6. quest. 1. cap. nullus, cap. laico, cap. in sancta, cap. laicos, cap. sicut, cap. laici 2. quest. 7. cap. de cetero 14. de testibus. Utramque partem probat Marcel. Papa epist. 2. ad medium, ibi:

ibi : *Quod laici , aut suspecti Episcopus non debeant accusare , nec accusatoribus de inimici domino procedentibus credendum sit , & à Beato Clemente ipsis eum instructibus Apostolis legimus definitum , & nos eadem firmamus.* Illustrant ultra congestos à Barb. in *praesenti* , & infra in *cap. meminimus*, Ant. August. in *epit. juris lib. 30. tit. 1. Vighel. in method. juris Pontif. lib. 1. cap. 6.* Petrus Greg. *lib. 5. partit. tit. 9. cap. 3.* Fragofo *cap. 1. de regimine, lib. 5. disput. 12. §. 3.* Ant. August. in *notis ad can. 68. Hadriani, tom. 5. Concil.*

4.  
Traditur dubitandi ratio.

Sed pro dubitandi ratione in praesentem assertionem ita insurgo : Omnes admittuntur ad accusandum, qui non prohibentur, quia edictum hoc est prohibitorium, ut probavi in *cap. 1. hoc titul.* & sacri canones eos remouent ab accusandi munere, quos leges rejiciunt, *cap. accusatores 7. & 8. 3. quest. 5.* Synodus Romana sub Symmacho ante medium, ibi: *Cum Patrum statuta sanxissent quos ad accusationem leges seculi non admittunt, his dicendi in cognatione, vel accusandi aliquem denegandam esse licentiam.* Sed non reperitur in legibus civilibus inimicus exclusus ab accusando, ut constat ex *l. qui accusare, ff. de accusat. toto titulo Cod. qui accusare non possunt.* Ubi cum referantur omnes, qui accusare non possunt, inimici inter eos non recensentur; immò ex Cicerone constat, accusatorem quam maximè in senum reo desiderari, ut ex fide accuset. nec praerarietur. Ideò Q. Caecilius Quæstor. C. Verris, cum in accusando Cicero præferri vellet, inimicum se Verri simulavit. Fictas autem inimicitias exagitat Tullius in *divin.* his verbis : *Deinde accusatorem verum, firmumque esse oportet. Eum ego si te putem cupere esse, facile intelligo esse non posse. Nec ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis, te antequam de Sicilia decesseris in gratiam rediisse cum Verre. Potamonem scribam, & familiarem tuum retentum esse à Verre in provincia, cum tu decederes : M. Cælium fratrem tuum lectissimum, atque ornatissimum adolescentem, non modo non adesse, neque tecum tuas injurias persequi, sed esse cum Verre, cum illo familiarissimè, atque amicissimè vivere. Sunt hæc, & alia in falsi accusatoris signa per multa, quibus ego nunc non uor.* Igitur inimici non repelluntur ab accusatione. Accedit, nam unicuique de populo licet Reipublicæ bonum procurare: at accusare est crimen deferre ob publicum bonum ad vindictam publicam, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Igitur etiam inimicis licet reos criminum deferre. In secundam partem etiam assertionis sic insurgo. Licet laici non admittantur ad accusandos clericos, tamen in crimine simoniæ rectè illos audiri posse, probatur ex *cap. tanta, de simonia*: sed in praesenti casu agebatur de simoniæ crimine: igitur etiam laici, ut accusatores contra clericum admitti poterant.

5.  
Traditur decidendi ratio.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, verum est, inimicos ad accusandum admitti non posse, ut variis ampliationibus, & limitationibus exornant Jul. Clarus *lib. 5. sentent. §. final. quest. 14. num. 17.* Farinac. in *praxi, quest. 12. numer. 38.* Decianus *lib. 3. tract. crimin. cap. 25. per totum.* Nam licet jure civili attentio admitterentur, tamen per sacros canones arcentur ab accusando. Quod discrimen utriusque juris agnoverunt Panorm. & Felinus *hic.* Beroius in *c. 1. hoc tit. num. 47.* Turriscrem. in *cap. in primis, num. 8. 2. q. 1.* Ant. Matthæus de *crimin. ad tit. de accusat. cap. 1. n. 11.* Ratio hujus prohibitionis Pontificiæ ex eo pro-

venit, quia cum accusatio sit delatio criminis ad publicam vindictam, ut probavi supra in *cap. 1.* præsumitur non amore justitiæ, ac zelo, sed odio id efficere ad privatam vindictam: & similiter jus præsumit propter odium accusantis aduersus accusatum inimicum mentiri, ob quam causam inimicus non admittitur ad ferendum testimonium contra inimicum, *l. 3. ff. de testibus, l. si quis testibus, Cod. eod. titul. & quia laici clericorum inimici creduntur, cum eis valde sint infesti, cap. laicos 2. quest. 7. cap. clericis, de censibus lib. 6.* propter disparem professionem, ideò ab accusatione clericorum laici arcentur. Accedit quia laici eos ut patres revereri debent, *cap. oves 2. quest. 7.* unde non decet clericos à laicis accusari. Quod primum tantum circa Episcopos cautum fuisse, non ceteros clericos, ab Anacleto, constat ex *cap. laici, 2. q. 7.* & deinde traductum fuit ad omnes sacerdotes, & omnes clericos, ut indicat Fabianus *epist. 2. ad Orientales Episcopos, relatus in cap. sicut 2. quest. 7.* Et licet hoc apud Græcos non invaluisse, ut liquet ex *can. 75. Apostol. can. 6.* Synodi Constantinop. Concil. Chalcedon. *can. 21.* & hæc prohibitio regulariter procedat, nisi laici suam, vel suorum injuriam prosequantur, *dict. cap. laici 2. quest. 7.* & etiam in criminibus exceptis admittantur, veluti in crimine læsæ Majestatis divinæ, aut humanæ, vel simoniæ, *cap. sacerdotibus 2. quest. 7. cap. tanta, de simonia*: tamen in his casibus, & similibus admittuntur laici si bono zelo, & non ex odio procedant: quia tunc nec in dictis criminibus ad accusandum, vel testificandum admittuntur, *cap. licet Heli, cap. per tuas, de simonia*, etsi bonæ famæ sint; nam si improbæ famæ, seu viles personæ reperiantur, distinguendum est, an clericus sit infamatus de eo delicto, & tunc laici etiam male opinionis admittuntur; si verò clerici existimatio læsa non est, laici vilis opinionis non arcentur, *dict. cap. tanta, cap. per tuas, de simon. cap. in primis 2. quest. 1. juxta quam distinctionem accipiendus est canon. 24. Concilii t. paun.* ubi ita ajunt Patres: *Laici contra cujuslibet gradus clericum, si quid criminale parant obijcere, dummodo vera suggerant, proponendi permittimus potestatem.* Quare cum in praesenti specie Petrum duo fratres diversis temporibus vicissim accusarent, inimici credebantur ipsius Petri, quia ex lite præsertim criminali oriuntur inimicitia inter litigatores, & eorum consanguineos, ut probat Decian. *dict. cap. 25.* & jam notavi in *cap. 1. verbo Adversarius, de judiciis*: & ideò amoti, & repulsi fuerunt ab accusatione, licet propter scandalum, & infamiam ortam purgatio canonica Petro injungeretur.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam verum est, quod licet legibus Romanorum inimici non reperiantur prohibiti ab accusatione, ut jam notavi in *cap. repellantur, hoc titul.* tamen per sacros canones reperiantur exclusi. Nec interest, quod sacri canones eos ab accusatione repellunt, quos leges jam removerant: nam non solum ipsos, verum & alios, quos supra in *cap. 1.* recensui, Ecclesiæ PP. prohibuerunt accusare: unde textus pro dubitandi ratione adducti non sunt ita accipiendi, ut tantum removeant ab accusatione illos, quos jus civile ab accusando rejecit; verum ut omnes illi arceantur, & insuper alii per antiquos canones ab accusatione remoti. Nec obstat alia difficultas adducta ex *cap. tanta, de simon.* nam

nam licet verum sit, laicos etiam vilis existimationis admitti in criminibus exceptis ad clericos accusandos; tamen cum ipsi reperiuntur inimici, nec in criminibus exceptis contra clericum au-

diuntur, *cap. si vestes 4. quest. 2.* Unde cum in presenti textu agatur de inimicis clericum accusantibus; idem etiam in crimine simoniae non audiuntur.

## CAPUT XI.

Idem <sup>a</sup> Vigor. Episcopo.

EX parte tua nobis huiusmodi quaestio fuit proposita: utrum monachi in accusatione Abbatum suorum sint aliquatenus audiendi? Super quo utique prudentiae tuae respondemus, quod nisi alia rationabilis causa praepediat, eo quod monachi de obedientia, & subiectione Abbatis esse noscuntur, ab eius accusatione non sunt ullatenus repellendi, licet alios accusare non possint: quibus siquidem, cum proprium non habeant, de rebus monasterii expensae debent necessariae, donec causa debitum finem accipiat, ministrari.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> Vigor. ] ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. final. & in cap. de confirmationibus 2. de confirm. utili*, ubi extat secunda pars huius textus. De Wigorienfi diocesi nonnulla notavi in *cap. 9. de elect.*

## COMMENTARIUM.

2. Licet monachi regulariter ad accusandum in iudicio non admittantur, *cap. monachi 16. quest. 1. cap. quapropter 2. quest. 7.* quia mortui saeculo sunt, *cap. placui 16. quest. 1. l. De nobis*, *Cod. de Episc. & cleric.* tamen proprium Abbatem accusare possunt, *cap. Euphemium 2. quest. 4. cap. illa 16. quest. 7.* quia ad talem accusationem quilibet admittitur, *cap. illa*, *cap. filius 16. quest. 7.* quare cum inter sit monasterii non habere lupum pro pastore, *cap. nos 2. quest. 7.* idem quilibet de monasterio admittitur ad accusandum Abbatem. Nec obstat subditum Prae-

latum, vel Magistratum suum accusare non posse, *cap. 1. cap. sacerdotes*, *cap. qualis*, *cap. sententia*, *cap. oves*, *cap. sunt nonnulli*, *cap. si hereticus*, *si item quod dicitur*, *2. quest. 7. cap. hi qui 3. quest. 4. cap. oves*, *cap. deteriora 6. quest. 1. cap. ult. in fine 8. quest. 2.* nam cum Praelatus criminofus est, accusator autem vir probus, Praelatus nomine tantum, non re est, *cap. vereor 8. quest. 1.* nec obedientia Abbati promissa monachum a denunciatione repellit, aut prohibet, *dist. cap. illa*, *cap. non semper*, *cap. Iulianus 11. quest. 3. cap. dilecti*, *in fine*, *de majorit. & obed. cap. quapropter 2. quest. 7.* quia dispensatio conceditur obedientiae ipso iure, *cap. olim 26. hoc titul.* & quia cum monachus accusat Abbatem, utilitatem procurat monasterii, idem expensae a monasterio illi praestandae sunt, argumento legis finalis, *Cod. de ordin. cognis.* & similiter Abbati usque ad finem litis sunt expensae praestandae, argumento legis *si instituta. ff. de inoffic. testam.* docent Petrus Gregor. *lib. 5. part. iii. 9. cap. 3. Genueusis practicabil. quest. 576.*

## CAPUT XII.

<sup>a</sup> Coelestinus III.

SI constiterit, quod saepedicto D. praescripta Ecclesia non fuerit perpetuo concessa, sed ad tempus <sup>b</sup> commendata, &c. *Et infra*: De <sup>c</sup> violentia, & quod in <sup>d</sup> taberna pernoctaverit, ita quod altera die nulla <sup>e</sup> praemisâ dormitione Missam cantasset, &c. *Et infra*: Sed etiam si de hoc rationabiliter fuerit convictus in iudicio ante Episcopum, vel Archiepiscopum, sive accusatus, vel ad rationem positus, sine coactione coram pluribus fuerit confessus, ei nullius appellatione obstante super eadem Ecclesia perpetuum <sup>f</sup> silentium imponatis, & ipsam ab impetitione G. desistere compellatis. Caterum si eadem D. fuit Ecclesia ipsa canonicè concessa, & tradita, & postea de crimine aliquo non fuit convictus, propter quod debuit de jure <sup>g</sup> spoliari, vel post appellationem, sicut aliquando allegavit, Ecclesiam illam fuerit spoliatus, ipsam facias ei restitui, & in pace dimitti.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> Coelestinus III. ] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc titul. cap. 1.* alibi legitur *Clemens III.* alibi *Alex. III.* quam inscriptionem retinendam credo, cum tam textus antecessoris D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

dens, quam sequens sint ipsius Pontificis; unde in hac sexta collectione tantum habetur, *Idem*, id est *Alexand. III. Theophilus tom. 16. in Heteroclit. spirital. sect. 1. fol. 14.* dum huius casus meminit, supponit epistolam hanc esse *Alexand. III.* & in ea scribere *Ambianensi Episcopo, & Abbati sancti*

Sancti Remigii, in eaque agere de Davide presbytero oppidi Gandavi deposito à suo Episcopo Tornacensi. Integrâ epistolâ caremus, & magno cum dispendio; siquidem ex hoc fragmento non constat, quo iudicii ordine contra Danielem sacerdotem procederetur: unde in hac parte tot sunt ferè sententiæ, quot Expositores.

b *Commendata.* ] De commendatione Ecclesiarum, & an talis commendatio habeatur pro beneficio, egi in *cap. de multa, de preb.*

c *Violentia.* ] Credo legendum, *violentiæ*, ut habetur in hac sexta collectione, & ita conveniat verbis sequentibus.

d *Taberna pernoctasset.* ] Quando ingredi tantum in ea clericis prohibitum est, ut probavi in *cap. clerici officia, de vita & honest. cleric.*

2. e *Premissa dormitione.* ] Glossa in *cap. nihil, verbo minimum 7. quest. 1.* licet hujus textus immemor, doeuit non jejunium quoad celebrandum, seu communicandum eum judicandum, qui post duodecimam horam noctis præteritæ cibi indigestione laborat, & ipsius cruciationes patitur, quasi eo die trajectus cibus credatur, quo indigestus in stomacho durat. Quam sententiam, & alios tenuisse refert Bernardus Diaz in *praxi, cap. 34. Leander part. 2. de Sacram. tract. 7. disput. 5.* Sed contrarium, immò eum, qui post cœnam, nullâ interjectâ dormitione pernoctavit, rectè sequenti die Missæ sacrificium offerre, aut Eucharistiam sumere, tenuerunt post D. Thomam

3. *part. quest. 80. art. 8. ad 5. Navari. in manual. cap. 21. num. 53. Suarez de sacram. disput. 68. sect. 4. Bonac. tom. 1. disp. 4. part. 6. punct. 2. numer. 11. Fagundez in præcep. 3. Decalogi, lib. 3. cap. 5. Leander ubi supra. Narbon. in horograph. hora 12. num. 74. & suadet; nam aliàs plures, qui stomachi debilitatem patiuntur, & hujusmodi cruditates sequenti die retinent, prohiberentur Missam celebrare: cujus contrarium receptum videmus. Nec tunc obstat præfens textus, ubi necessariò videtur requiri dormitio ad digestionem, ut clericus possit Missam celebrare. Nam respondetur in præfenti casu, D. Sacerdotem puniri, quia pernoctavit in taberna; quod significat per totam noctem in ea fuisse, l. urbana, §. pernoctare, ff. de V. S. & illum ingurgitationibus deditum ipsa die Missam celebrasse, & per consequens non jejunium; non quia in somno cibum, & vinum non decoqueret; nam ut probat Laurentius Joubertus de *cadis 1. paradox. 8. vigilans plus ciborum concoquit sex horis, quam dormiens horis duodecim.* Docuit Theophilus *sect. 16. fol. 15.* Sed quia non jejunus celebravit contra tot canones congestos supra in *cap. ex parte, de celebr. Miss.**

f *Perpetuum silentium.* ] Hæc verba expositi in *cap. à crapula, de vita & honestat. clericorum.*

g *Spoliari.* ] Hanc ultimam textus partem expositi in *cap. 4. de restit. spol.*

## CAPUT XIII.

Alexander III.

**M**eminimus jam pridem tibi præcipiendo mandasse, ut dilectæ filiæ N. Cassiotæ Abbatisiæ monasterii sancti Zachariæ, cujus electionem <sup>b</sup> confirmavimus, <sup>c</sup> munus benedictionis impenderes: sed quia Henricus pro altera parte ad nostram præsentiam accessit, & à te exinde ad nostram audientiam appellavit, proponens, quod eam accusaret de simonia; idèò mandatum nostrum distulisti effectui <sup>d</sup> mancipare; quia verò non decet te in hac parte appellationi ejusdem H. deferre, cum non liceat laicis contra clericos, & monachos testimonium ferre, & cum idem H. fuerit memoratæ Cassiotæ manifestus inimicus, & <sup>e</sup> contra eam testimonium tulerit; nos, si benè meminimus, eandem Abbatissam benedici mandavimus, & adhuc ap. cess. mandamus, quatenus, cum inde fueris requisitus, præfatæ Abbatissæ contradictione, & appellatione cessante, munus benedictionis non differas impertiri.

## NOTÆ.

1. a *Alex. III.* ] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Alexander: unde cognosci non potest, de quo monasterio monialium in præfenti agatur, aut ubi monasterium S. Zachariæ fuerit.

2. b *Confirmavimus.* ] Inde cognoscitur, monasterium hoc esse immediatè subjectum Romanæ Sedi; nam ad Apostolicam Sedem spectat confirmatio Abbatissarum, quæ illi immediatè subsunt, *cap. si Abbatem, de elect. in 6. Tamburin. de jure Abbatiss. disput. 29. quasi 1.*

3. c *Munus benedictionis.* ] Quæ benedictio solet dici ordinatio, & consecratio. Div. Gregor.

*lib. 6. epist. 12. ibi: Constituentes, ut obvenio ante dicti monasterii Abbatissâ, non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur; quam tamen si digna huic monasterio iudicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordinet.* S. Radegundis Patribus Concilii Turon. 2. tom. 1. Concil. Gallie scribit, Agnetem sui monasterii Abbatissam Beatissimi Germani, præsentibus fratribus, benedictione consecratam: de qua benedictione agitur in *Clement. attendentes, §. statimus, de statu monach. & tractant Tamburin. de jure Abbat. disput. 29. per totam. Cellotius de Eccles. Hierarch. cap. 11. in fine.*

d *Mancipare.* ] Quia videbatur, pendente accusatione ipsam non esse honorandam, juxta textum in *cap. 3. hoc tit. ubi hæc verba exposui.*

c Et

<sup>4</sup> *Et contra eam testimonium tulit.* ] Conjunxit simul Alexander, quod ipse inimicus fuerat, & quod contra ipsam testimonium dixerat, nam ex depositione tantum suspectus fiebat, non vero inimicus, ut probat Donel. *lib. 15. comment. cap. 2. Mancinus lib. 1. genial. cap. 42.* Qui autem

testimonium dixit contra me in causa criminali, iterum quasi inimicus contra me non auditur, l. *ante penult. ff. de testibus*: quam contra Cuiacium explicat Forner. *lib. 2. select. cap. 10.*

Commentarium hujus textus dedi supra in cap. cum P.

## CAPUT XIV.

## a Bisuntino Archiepiscopo.

Licet in Beato Petro Apostolorum principe ligandi, atque solvendi nobis à Domino sit attributa facultas, quam in subjectos, juxta suorum exigentiam meritorum exercere liberè debeamus; exemplo tamen illius, qui omnes salvat, & neminem vult perire, libentiùs intendimus ad solvendum, quàm ligandum, etsi nonnullæ sunt culpæ, in quibus est culpa relaxare vindictam. Sanè cum olim ex litteris B. Decani sancti Stephani, & G. Cantoris, I. T. I. O. & N. Canonicorum Ecclesiæ Bisuntinæ ad Apost. Sedis audientiam pervenisset, te varia crimina commisisse, ac ab eis fuisses per eandem litteras super perjurio, crimine simoniæ, & incestu delatus, fel. rec. Cael. Pp. prædec. n. servatâ judiciariâ gravitate, tibi certum terminum assignavit, quo responsurus objectis, Apostolico te conspectui præsentares. Cum autem tu juxta tenorem factæ tibi citationis ad Sedem Apostolicam accessisses, te, & dil. fil. I. & O. Archid. apud Sed. Apostolicam constitutis, expectavimus aliquandiu, si qui forsitan contra te procederent, & quæ de te litteris intimarant, proponerent inscribendo. Cæterum cum nec unus appareret, qui te impeteret de prædictis, ne aliquid de contingentibus præmittere videremur, à prædictis I. & O. Archid. in nostra, & fratrum nostrorum præsentia constitutis quæ sivimus diligenter, si quid super præmissis adversus te pro se vel alii proponere vellent, & quod scripserant, legitimè demonstrare. Ipsi autem, quod non proposito accusandi hæc scripserant, responderunt; sed quia tu super quibusdam incorrigibilis videbaris, quædam de te Sedi Apost. duxerant intimanda: sed nuntius, qui pro litteris impetrandis accessit, mandati formam præsumpsit excedere. Nos igitur famæ tuæ consulere cupientes, dictis Canonicis contra te super prædictis silentium duximus imponendum, ne te de cætero his super ipsis accusare liceat, vel infamare, illius sequentes exemplum, qui cum mulieri dixisset: Quis te condemnavit mulier? Et illa: Nemo Domine. Nec ego, inquit, te condemnabo: vade, jam amplius noli peccare. Quia verò prædicti Canonici circa vinculum inscriptionis desistere voluerunt, eis de juris permissione id non duximus imputandum. Ne autem in absolutione tua minus canonicè procedere videamur, quamvis potiùs in odore bonæ opinionis nostrorum Cœpiscoporum, quàm eorum infamia delectemur, ven. F. n. Cabilon. Episcopo, & dil. fil. Abbati de Firmitate inquisitionem famæ tuæ duximus committendam. Datum Romæ, & c. iv. Idus Junii.

## NOTÆ.

a *Bisuntino.* ] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap. 1.* & in epistolis ipsius Pontificis editis Coloniae, *fol. 121.* Bisuntium, seu Besuntium, vulgò *Bezancón*, amplissima est urbs Gallie in Comitatu Burgundiæ, cujus meminerunt Cæsar *lib. 1. de bello Gallico, cap. 9.* Marcellinus *lib. 15.* Tacitus *lib. 20. annal.* quos referunt fratres *Satmath. tom. 1. Gallia Christ. folio 118.* Aliquando Imperialia jura novit, teste Crantzio *lib. 15. Saxon. cap. 15.* Dicitur & Chrysopolis, estque Metropolis maxima Sequanorum, quæ quinta Lugdunensis dicitur, ut probat Idumay in *notis ad Innoc. III. epist. 164.* De Amadeo ejus Præsule in præfenti agitur. Cum enim Amadeus delatus esset coram Cælestino III. à Canonicis & Archidia-

conis suis de perjurio, simonia, & incestu, in Curia Romana ad diem dictum stetit: sed defuncto Cælestino, nullo accusatore se inscribente Innocentius III. ejus famæ inquisitionem commisit Cabilonensi Episcopo & Abbati de Firmitate. Dum pendebat hæc inquisitio, Humbertus, Stephanus, & Petrus Bisuntinæ diocesis Amadeum iterum Innocentio deferunt, qui causam commisit Bernardo Gebennensi Episcopo *l. 2. regest. 14. epist. 124.* & tandem inquisitione peractâ, purgatio canonica injuncta fuit ipsi Archiepiscopo ab Innocentio III. in epistola missa Episcopo Lingonensi, & Abbati Morismundi, *lib. 4. regest. 16. epist. 63.* in hæc verba: *Audius & intellexis, quæ super inquisitione facta contra venerabilem F. N. Archiepiscopum Bisuntin. fuere proposita coram nobis: quia per depositiones testium constat evidenter, ipsum clericos, cum eos promovebat ad ordines, fecisse promittere*

mittere datâ fide; quod eum per Sedem Apostolicam, vel per alium super obtinendo beneficio non vexarent: ut puniatur in quo deliquit, eundem à collatione ordinem duximus suspendendum, & quandiam nobis placuerit, volumus manere suspensum. Interim autem per aliquem de suffraganeis Ecclesie Bisuntinae, cum necessitas postulaverit, clericis Bisuntinae Diocesis ordines conferri mandamus. Ceterum quoniam idem Archiepiscopus super vitio simonia, ac lapsu carnis, nec non venditione iustitiae dignoscitur infamatus, super iisei purgationem cum certia manu Episcoporum sua provincia, vel etiam vicinarum, & trium Abbatum Bisuntinae diocesis bone opinionis, & vite, qui de conversatione ejus cognoverint, indicentes, discretioni vestra per Apost. scrip. mandamus, quatenus ab eo infra tres menses praefixos à nobis hujusmodi purgatione receptâ, ipsum super illis articulis boni testimonii publicè nuntietis. Quod si forte in purgatione defecerit, ipsum à pastorale regimine amoventes, faciatis Ecclesia Bisuntina de persona idonea provideri. Vos denique Frater Episcopo, & Fili Abbatis, &c. Datum Lateran. ix. Cal. Junii, Pont. N. anno xvi. Et cum circa formam ipsius purgationis Amadeus ad Innocentium III. appellasset, eisdem iudicibus formam in purgatione servandam praescripsit in cap. final. de purgat. canon. An verò in ea defecisset, non constat. Fratres Sarmath. ubi supra, referunt eum privatum Episcopatu decessisse.

b Nemo te condemnavit. ] Verba sunt Christi Domini apud Joannem cap. 8.

c Inscriptionis. ] De qua agemus infra, in cap. super his.

2. d N. Abbati. ] Odoni videlicet, ut refert Manriquez to. 1. anal. Cisterc. in serie Abbatum de Firmis. num. 8. De quo monasterio nonnulla notavi in cap. ex litteris, de constitut.

### COMMENTARIUM.

3. Conclu-  
sio tradi-  
tur &  
proba-  
tur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Discens se aliquem accusatum sine poena, potest desistere ab accusatione ante inscriptionem, & sic desistenti silentium perpetuum imponitur.* Priorem partem, videlicet ante inscriptionem licere accusatori desistere, probant textus in l. questum §. ff. ad Turpil. l. 17. Cod. ad leg. Jul. de adult. & argumento legis quamvis II. legis libertus §. ff. de in jus vocando. Secundam partem, scilicet desistenti ab accusatione imponendum esse perpetuum silentium, probant textus in l. 2. ff. ad Turpil. l. 3. ff. de praevatic. l. 2. §. 1. l. si maritus §. si negaverit, ff. ad leg. Jul. de adult. l. accusationem; Cod. qui accusare, l. quarum §. si venditor §. ff. de ad lit. edict. Paulus lib. 1. sent. tit. 5. §. 2. Illustrant Baldus, & Salicet. in dict. l. accusationem, Padilla in l. transgere, à num. 91. Tiracquel de retract. tit. 1. ad fin. Petrus Greg. lib. 32. Synag. cap. 22.

4. Tradi-  
tur du-  
bitandi  
ratio.

Sed pro dubitandi ratione sic argumentor: Accusator desistens ab accusatione, punitur ex Senatusconsulto Turpilliano variis poenis, ut statim dicemus; & principaliter ex l. 1. vers. Si quis autem. Quae extat in cap. ult. vers. si quis 2. quest. 3. Sed in praesenti casu jam accusavit Episcopum Bisuntinum de incestu, & simonia, ipseque citatus Romam venerat: igitur impunè non poterat desistere ab accusatione, praecipue quia per citationem pendet accusatio, seu lis, quae incipit ab ipsa citatione, argumento §. ultimi,

Instit. de penis, temer. litigant. Clement. 2. ut litigant. Accedit, quia ratio boni publici, quae nititur Senatusconsultum, ut statim videbimus, viget etiam in hoc casu cum primum facta est citatio. Deinde difficilis est secunda pars assertionis, ubi docetur in praesenti specie canonis desistentibus ab accusatione impostum fuisse silentium perpetuum; nam ubi accusator impunè, licetque desistat ab accusatione, non prohibetur iterum accusare, si postea poenitentia ductus, velit accusationem repetere, dummodo res integra sit, & nulli inferatur praesudicium, l. 3. ad finem, vers. Si is cui, ff. de sepulchr. violat. argumento legis mancipiorum §. ff. de optione legat. Sed in praesenti casu canonicis jure, & impunè omisit accusationem, refert Innoc. III. igitur non erat illis silentium imponendum.

Qua dubitandi ratione non obstante vera est praesens assertio, cujus decisivam rationem ut agnoscamus, sciendum est, quod licet nemo accusationem proponere, & exordiri cogatur, immò cuilibet liberum sit reum criminis deserre, vel non, l. unic. junctâ rubric. Cod. ut nemo in vitis accusare, vel agere cogatur; tamen ubi quis jam accusavit, & accusationem in iudicio legitime proposuit cum subscriptione, necessariò cogitur persequi, nec liberum est ei impunè desistere, l. ab accusatione §. l. res qua 22. §. ult. ff. de iure fisci: quia publicè interest accusationem non intermittere, si vera sit, ut delicta puniantur, l. sita §. ff. ad leg. Aquil. l. congruit, ff. de offic. Praesid. siue falsa, ne calumniatores impunè discedant.

Quare desistens ab accusatione, seu tergiversator, publico iudicio instituto, in rempublicam peccat, cujus interest crimina publica vera in iudicio delata coerceri, & illorum publicam vindictam temerè, & sine causa non impediri, l. 3. ab accu-  
De de-  
sistens  
ab accu-  
satione.

ditionem, l. congruit, ff. de offic. Praesid. cap. ut fama, de sent. excom. & insuper ne quis innocens temerè accusetur sub fiducia, & spe desistendi postea ad libitum. Nec novum est eos, qui aliquid incipere, aut facere non coguntur, postquam coeperint negotium facere, cogi ad illud profectendum, l. 3. §. 1. ff. de arbit. l. salarium §. ff. mandatum, l. sicut, Cod. de O. & A. cap. licet, de voto. Ergo qui ab accusatione publici iudicii per se, nullâ precedente abolitione, omnino desistant antequam lis finita sit, variis poenis puniuntur, ex Senatusconsulto Turpilliano Neronis tempore celebrato anno Christi 62. urbis 813. ut probat Panciroli lib. 2. var. cap. 136. In primis puniuntur extraordinariè poenâ quinque librarum auri fisco applicanda, l. 3. ff. de praevaticat. Deinde repelluntur omnino ab hujusmodi accusatione, ita ut licet velint eam persequi, non audiantur, l. 2. & 3. ad Turpil. l. 3. & 4. Cod. eod. titul. Insuper infamiam incurrunt, l. spurii §. qui iudicii, ff. de accusat. l. 2. in fin. Cod. ad Turpil. & in expensis, & damnis puniuntur, l. 3. Cod. qui accusare, l. absentem §. vers. In accusatore, ff. de penis. Consonant lex 7. tit. 1. part. 7. docet Divus Thomas 2. 2. quest. 68. art. 3. in corpore, & ad 3. Sotus lib. 5. de iust. quest. 5. art. 3. Bonifac. de malefic. ritual. de poena desistentis, Dnarenus ad ritual. ff. ad Turpil. ad quam Turpilliani partem spectant textus in l. tutorem 22. §. 1. ff. de his qua ut indign. l. miles II. §. 3. ff. ad leg. Jul. de adult. l. iure §. l. crimini l. abolitionem §. C. eod. tit. l. 14. §. 2. ff. de bonis libert. l. vel iudicio 20. l. qui ergo, §. pennit. ff. de his qui notant infam. juncto

Et Donello lib. 18. *comment. cap. 18. vers. Non-*  
*dum: & l. res 22. cum sequent. ff. de jur. dot. l. 8. Cod.*  
*de his que ne indign. l. si quis 7. §. 1. ad Turpil.*  
*Junctis Salmatio ad jus Atticum c. 10. Marcel Do-*  
*nat. in notis ad Lamprid. Ideo licet reus possit tran-*  
*sigere de delicto à se commisso omni tempore, l.*  
*transigere, C. de transact. tamen auctoritatum ante*  
*propositam accusationem id licet ut docet Anton.*  
*Mattheus de crim. ad lib. 48. Pandect. tit. 19. c. 7.*  
*num. 6. Excipiuntur tamen ab his poenis femina,*  
*& minor. l. 1. §. accusationem 10. ff. ad Turpil. nam*  
*mulier si deserat accusationem, ad quam nimio*  
*ferore processit, excusatur, quia dum suorum in-*  
*juriam prosequitur, ignoscendum est illius dolo-*  
*ri, ad quem sexus ratione facilius movetur, nisi*  
*pacto, aut pretio accepto desistat, l. 5. ff. eod. tit.*  
*item excusatur illi, qui doli propositi expertes solâ*  
*juris, aut calus necessitate circumventi accusatio-*  
*nis peragendæ animum abjiciant, vel deponunt,*  
*& illi, quos sine ulla calumniæ suspitione justus*  
*dolor creditus, aut falsa opinio in accusationem in-*  
*duxit.*

6.  
De abo-  
litioni-  
bus.

Abolitione factâ licet accusatorem accusatio-  
nem deserere supra dixi. Est autem abolitio, finis  
accusationis, quâ reus à steorum numero eximitur,  
& aboletur accusationis memoria, l. si interven-  
niente 12. ff. ad Turpil. Ea triplici modo contingit,  
licet duplicem tantum agnoscat Cuiacius ad Pan-  
lum lib. 5. *sent. tit. 17. & ad tit. C. de abolit.* Prima  
publica, cum status temporibus feriarum, vel  
ob celebritatem Paschalem, vel extrâ ordinem,  
ob diem insignem, publicamve lætitiâ, reorum  
nomina abolentur, & ipsi è carcerebus in lucem  
prodeunt, l. 3. C. de Episc. audiem. l. 8. §. 9. & 12. ff.  
ad Turpil. l. 1. 2. & 3. C. de gener. abolit. l. final. C.  
Theodos. de indul. crimin. ibi: *Liberatâ Republicâ*  
*tyrannidis injuriâ omnium reos relaxare præcipi-*  
*mus.* Plura de hac abolitione congescit Altesferta de  
*Ducibus lib. 1. c. 6. Secundo privatum abolitio*  
*contingit, cum accusator à Judice impetrat accusatio-*  
*nis omnittendæ licentiam ex justa, & probabili cau-*  
*sa, veluti propter errorem, militiam, cognationem,*  
*& similes, l. 10. ff. ad Turpil. l. 2. Cod. de abolit. l.*  
*abdicacionem 16. l. quamvis 30. ff. ad leg. vel. de*  
*adult. l. Senatus 15. ff. de jur. fisci. Tertia abolitio*  
*contingit cum accusatore mortuo, aut justâ cau-*  
*sâ impedito, quo minus profectui accusatio-*  
*nem, reus petit nomen ejus aboleri. Planè aboli-*  
*tionis hujusmodi, licet in aliquibus conveniant,*  
*in aliis tamen differunt valde. Conveniunt quidem*  
*in eo, quod quæcunq; ex eis sufficit, ut accusa-*  
*tor impudè desistere possit ab accusatione. l. 1. §.*  
*si quis autem, l. si interveniente, ff. ad Turpil. l. 1.*  
*tuncquâ Glof. 1. C. eod. tit. in eo etiam conveniunt,*  
*tam prima, quam secunda abolitio, quod utraque*  
*locum habet cum leviora crimina objecta sunt.*  
*Graviorum verò criminum reis abolitio non pro-*  
*dest, l. Domitianus 16. cum lege sequenti, ff. ad Tur-*  
*pil. l. ultim. C. de abolit. l. 3. C. de Episc. aud. l. pen-*  
*ult. Cod. de calumn. l. 29. tit. 1. part. 7. quia in his*  
*gravioribus delictis, si abolitio concederetur, po-*  
*tius contaminari gaudium, lætitiæque publica,*  
*quam ostendi videretur, ut ajunt Imperatores in l.*  
*4. C. Theodos. de indulg. crimin. quæ extat in dict.*  
*l. 3. C. de Episcop. aud. & apud Jacob. Sirmundum*  
*in append. C. Theodos. ibi: Quis enim sacrilego diebus*  
*feriatis indulgeat: quis stupri, incestive reo tempore*  
*castitatis ignoscat? quis non raptorem virginis in*  
*summa quiete, & communi gaudio non prosequa-*  
*tar instantius? Nullam sententiâ vincularum requiem*

ij, qui quiescere defunctos quadam sceleris immani-  
tate sinunt. Nec obstat lex i. C. de general. abolit. ubi  
ad vim illatam abolitio quoque produci videtur.  
Nam accipienda est de vileiori, non publica,  
& gravi. Differunt tamen in eo præsertim, quod  
prima abolitio non nisi à Principe, vel Magistra-  
tu ejusdem auctoritatem habente conceditur, l. 2.  
ibi: *Indulgentia nostra, C. de gener. abolit. l. interve-*  
*niente 12. ff. ad Turpil.* Secunda verò à Præside seu  
Judice competente, apud quem agitur ex justa  
causa, & de qua cognitio præcedere debet, d. h.  
1. *vers. Abolitio:* licet Plinius lib. 7. *epist. 6. & 10.*  
hanc rem Cæsaris cognitioni reservatam memo-  
ret. Differunt deinde in eo, quod prima regula-  
riter non est ira perpetua, quin post triginta dies  
utiles finitis feriis, non solum alius, verum & ipse  
non possit repetere accusationem, l. si quis 7. &  
12. ff. ad Turpil. l. 1. C. de gener. abolit. cum post a-  
lias abolitiones non possit accusator etiam post  
30. dies accusationem repetere, nisi à Principe  
impetraret, l. 1. C. de abolit. l. 4. ff. ad Turpil. l. 3.  
C. eod. l. 11. §. *ultim. ff. de accusat.* Decianus *suprà, nu-*  
*4. & 38. Cuiac. de præscript. & termin. c. 10. Anton.*  
*Mattheus ad tit. de accusat. cap. 6. quamvis alius*  
*intrâ ejusmodi 30. dies possit eandem repetere*  
*accusationem, dict. l. 3. §. ultim. ff. ad Turpil. dict.*  
*l. au privatum, vers. triginta. Dixi regulariter, quia*  
*abolitio, quæ ob natalem Principis conceditur,*  
*perpetua est. Idè quæ in l. 1. Cod. Theodos. de indulg.*  
*crimin. Corripus Africanus lib. 2. de laudibus Iustini*  
*minoris.*

--- Precibusque dolentem

Annuit, & solvit cunctos à crimine iussit.

Et quasi Deus est, cui verbo competit uno  
iustificare malos, mediæque à morte levare.

D. Chryostomus in Mattheum homil. 3. Solent  
Reges nato sibi filio indulgentiam Regno suo donare.  
Philippo contra Flaceum, ibi: *Bonis, & rectè, non*  
*insolentior administrantibus mos est in neminem*  
*damnatorum animadvertere, donec solenes celebri-*  
*tates nataliâ, Augustorum festa prætereant, Greg.*  
*Turon. lib. 6. Histor. Francor. c. 23. ibi: Deinde post*  
*multa funera filiorû Chilperico Regi filius nascitur,*  
*ex hoc jubet Rex omnes custodias relaxari, vinculos*  
*absolvi. Apud nos talis abolitio statuta reperitur*  
*in l. 1. tit. 32. p. 7. de qua plura Mastrill. de indul. Regis*  
*Sicilia, Jul. Clarus quest. 59. ubi plura Baiardus,*  
*Borel. de præstant. Reg. cap. 38. num. 85. Plaza de*  
*delict. lib. 1. cap. 38. D. Joannes Latrea decis. 25.*  
*Granar. Zypeus lib. 2. de jurid. cap. 8.*

Deinde sciendum est, valde controversum esse  
apud Interpretes, quando, seu quo tempore di-  
catur quis accusasse, seu accusationem instituisse  
ad effectum ut impudè eam deserere non possit.  
Et obtinuit communis sententiâ, videlicet secuturum  
verba & mentem Senatûs consulti Turpilliani  
non licere impudè desistere post litis contestationem,  
ita ut ante eam etiam libello dato liceat ac-  
cusatori discedere: quomodo accipiunt legem 1.  
Cod. ad Turpil. ibi: *Causâ criminis ordinatâ, legem*  
*questurum, ff. eod. tit. l. Verùm hæc sententiâ susti-*  
*neri non potest: tum quia consultus in d. l. quasi-*  
*tum, dum ait eum, de quo ibi, Senatûs consulti*  
*verbis non contineri, nunquam sentit de verbis*  
*quoad superficiem, sed verbis rectè, & juxta pro-*  
*prium sensum acceptis, ac proinde juxta mentem,*  
*& sententiam legislatoris, juxta textum in l. nomi-*  
*nis 6. ff. de V. S. Tum etiam quia Pontifex in præ-*  
*sentu, nullâ facta monitione litis contestationis,*  
*apertè docuit Canonicos ante inscriptionem fa-*

7.  
Quo tẽ-  
pore li-  
ceat ac-  
cusatori  
desistere.



etiam in ipsa accusatione desistere potuisse. Quare verius est, litis contestationem nullatenus esse necessariam; desiderari tamen libellum solemnem, quo reus criminis in iudicium refertur, & contra illum accusatio instituitur, ita quod ante eiusmodi libellum possit, post eundem verò nequeat accusator impunè desistere, ut docuerunt Glossa, Cinius, & Salicetus in l. 1. C. ad Turpil. quæ sententia suadet ex d. l. *quæsitum*, ibi: *Si non objecisset*, & per argumentum à contrario, ex cap. ult. ibi: *Inscriptionem fecisset*, junctâ Glossâ, 2. qu. 3. l. 1. C. ut intra certum tempus, ibi: *Accusator reum in iudicium sub inscriptione detulerit*; & ex præsentis textu, ibi: *Cura vinculum accusationis*. Nam in scriptio, de qua in his iuribus, fiebat in simul cum libello accusatoris, l. 3. in princip. ff. hoc tit. quæ extat in cap. final. ver. *libellorum*, 2. quæst. ult. In eo accusator cavebat se perseveraturum in accusatione usque ad sententiam, & talionis pœnæ se subscribere, aut inscribere, l. qui crimen 7. in princip. ff. hoc tit. l. 3. C. qui accusare. Dicemus infra in cap. super his. Post hunc ergo libellum, qui inscriptionis dicebatur, dicit. l. 3. hoc tit. non licebat desistere ab accusatione; antea verò licebat, cum adhuc accusator ad persistendum non se obstringeret: & hoc innuitur dùm docetur ante inscriptionem posse accusatorem impunè desistere in d. l. 1. Cod. ad Turpil. ibi: *Inscriptionibus depositis*, & *fideiussore de exercenda lite*; & l. 3. C. qui accusare; & in præsentis textu. Et quia in libello continebatur inscriptio huiusmodi ad persistendum, paria sunt dicere accusatorem ante inscriptionem desistere posse, post illam verò non ita; ac dicere, posse, vel non posse eundem desistere ante, vel post libellum accusatorium solemniter editum, quo accusatio instituitur in iudicio: ut defendit Abbas in præsentis, num. 6. & ita conciliandi sunt DD. qui asserunt post libellum non posse accusatorem desistere, cum iis, qui docuerunt post inscriptionem tantum non posse desistere.

8. Nec pro communi sententia supra adducta facit textus in dicit. l. 1. C. ad Turpil. in illis verbis: *Causa criminis ordinata*. Quæ accipienda sunt, non de ordinatione per litis contestationem, sed per libellum solemniter editum cum prædicta inscriptione; quia tunc dicitur causa criminis ordinata ex parte accusatoris, dicit. l. 3. ff. hoc tit. l. 3. C. qui accusare: licet ex parte accusati non sit causa ordinata, usque dum ille accusationi respondeat. Idque satis expressit Imperator in dicit. l. 1. ubi post illa verba, *Causa criminis ordinata*, se ipsum explicans subdit, id est, *in inscriptionibus depositis*, & *fideiussore de lite prosequenda præstito*. Quæ verba satis ostendunt ordinationem, de qua ibi agitur, non consistere in contestatione, sed in præscriptione, & aliis de quibus ibi: *Quod verò Imperator annectit in illis verbis; Eo qui accusator, sub officii custodia facto*, non refertur ad requisita necessaria, ut accusatus impunè possit desistere ab accusatione; sed ad hoc, ut abolitio, de qua statim agitur, impetrari possit per accusatorem absque accusati consensu: etenim ubi accusatus carcerem sustinuit, non conceditur abolitio accusatori eam penitentibusque eiusdem accusati consensu, l. final. ver. *in autem*, Cod. de abolit. cap. ult. in princip. 2. quæst. 3. Quod si carceri non fuit mancipatus, sed sub officii, id est officialis custodia traditus, ut exponit Cuiac. lib. 8. obser. cap. 10. potest accusator impetrare abolitionem ex iusta causa absque consensu accusati intra dies triginta ab eo, quo sic

sub officii custodia est, dicit. l. ultim. Probat igitur Imperator in dicit. l. 1. in Turpilianum incidere eum, qui crimen publicum derulit, & ordinatâ causâ, id est inscriptionibus depositis, & fideiussore de causa prosequenda præstito, & non impetratâ abolitione, ubi reus sub Officialis custodia traditus est, accusationem deseruit. Nec etiam favent communi sententiæ textus in dicit. l. *quæsitum*, ff. ad Turpil. l. miles, §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. quia in utroque textu, licet accusator libellum obtulerit iactatorium, seu comminatorium futuræ accusationis, in quo asserit se accusaturum; non tamen accusavit, nec libellum cum inscriptione solemniter proposuit, ut colligitur ex dicit. l. *quæsitum*, ibi: *Obiecturum minatus est*; & ibi, *si non objecisset*. Quæ verba satis innuunt, aliud asserendum esse, si accusator jam objecisset, & accuset. Similiter constat ex dicit. l. *militer*, §. 1. ibi: *Accusaturum, & restatus fuisset*, junctâ Glossâ verbo *Fuisset*, dum dicit, *focerum illic non obtulisse libellum*, intelligi accusatorium de præsentis, licet iactatorium, seu comminatorium obtulisset. Et cum Consul ait, *focerum desistisse ab accusatione*, accipit Glossa de accusatione comminata in futurum, non verò instituta, aut proposta de præsentis. Glossam sequuntur Dinus, Bartol. & Angel. ibi. Abbas in præsentis, num. 4. Anan. num. 7. Felinus num. 2. juxta quem sensum in dicit. §. 1. est textus singularis, quo probatur, non solum repelli ab accusatione eos, qui desistunt ab ea, quam de præsentis proposuerunt; verum etiam desistentes ab ea, quam comminati sunt in futurum, ut in præsentis textu etiam docet Innocentius. Inde deducitur, ad effectum ut accusator desistens incidat in Turpil. non sufficere quod accusatus sit, qui ante libellum cum subscriptione prædicta, etsi citatio præmissa sit, verum est dicere accusatorem desistere ante inscriptionem, & ante libellum solemniter editum, & antequam accusator obtinuit sit prosequi accusationem usque ad finem. Quod & aperte probatur ex præsentis textu in princip. ibi, *Citationis*: in quibus refertur, Archiepiscopum post Canonicorum delationem fuisse citatum: & adhuc ait Pontifex, post eam citationem adhuc accusatores posse desistere.

9. Consequens est alia quæstio, quando, & quo tempore desistere possit accusator impunè absque pœna Turpilianis in illis criminibus, in quibus attento iure inscriptio locum habet: quos referemus supra in cap. super his. Et videtur, quod in illis possit in quacunque parte litis impunè desistere; quia semper verum est dicere, quod desistit ante inscriptionem. Sed verè dicendum est, in his casibus, in quibus inscriptio non desideratur, desiderari litis contestationem, seu actum proximum litis contestationi. Unde hodie in praxi, cum prædicta inscriptio usu recepta non sit, idèd impunè ante litis contestationem desister, ut dicemus in dicto cap. super his.

10. Tandem sciendum est, accusatorem quovis modo desistente ante causæ exitum, sive licitè, & impunè, veluti ante inscriptionem; sive post illam, interveniente abolitione; sive illicitè, ut potè post inscriptionem, nullâ abolitione præcedente, causam criminalem non extingui omnino, nec reum absolvi à crimine, immò adhuc contra ipsum procedi posse, non solum alio accusante, verum etiam Iudice ex officio prosequente, l. 3. §. ult. ubi Bartol. ff. hoc tit. l. penult. ff. de public. iudiciis, l. 2. ibi: *Sed adversus nocentem*, Cod. de abolit.

*ii. cap. 2. de collat. derog. & satis expressit Innocentius in præfenti, in fine, dum ne minus canonicè procedere videatur, docet, quod licet accusatores desisterent, adhuc inquirendum esse contra Archiepiscopum, probantur Jul. Clarus d. §. ult. quasi. u. num. 9. Padilla in l. transgredere. num. 46. C. de transact. ut autem Judex ex officio procedere possit, accusatore desistente, desideratur ut causa criminalis ejus naturæ sit, ut aliàs Judex ad ejus inquisitionem procedere possit, aliàs sicut nec à principio, ita nec desistente accusatore Judex inquirere valet.*

11.  
Traditio  
curra-  
tio deci-  
dendi.

Quibus ita animadversis apparet vera ratio præfentis decisionis; nam cum Canonici Bisuntini in ejus specie adhuc accusationem legitimè cum inscriptione non proposuissent coram Innocentio III. potuerunt impunè desistere ab Episcopi accusatione absque eo, quod tanquam tergiverfatores puniri possent: & quia interrogati à Pontifice, an vellent accusationem proponere, aut haberent quid undè conquererentur de prædicto Archiepiscopo, responderunt, nec causam habere, nec velle accusationem instituere, idè illis perpetuum silentium imposuit: sed quia desistente accusatore, aut regulariter abolitione impetratà, crimen non extinguitur, sed tantum accusatio perimitur, idè etiam Pontifex perpetuum silentium imponeret Canonicis, ne amplius Archiepiscopum accusare possent super eisdem criminibus, non propterea ab eisdem delictis ipsum Archiepiscopum absolvit, nec prohibet de his per alios accusare; sicut Dominus noster, cujus exemplum Pontifex adducit, & habetur *Ioannis cap. 8. adulteram absolvit à crimine, vel accusatione, si postea legitimè accusaretur, quamvis tunc nullo existente accusatore, aut in iustitio iudicio meritò abire permiserit.* Undè illa verba finalia hujus textus, *nec tamen in absolutione tua,* non sunt intelligenda de absolutione à criminibus, vel simpliciter, & absolurè ab accusatione, vel inquisitione super eisdem criminibus, sed tantum de absolutione ab accusatione proposita per Canonicos. Illud summè notandum est, Innocentium III. non committere inquisitionem contra Archiepiscopum Cabilonenfem Episcopo, & Abbati de Firmitate super criminibus, ad quam necessarid præcedere debet infamia, *cap. qualiter 24. in princip. & in fine, ibi: Inquisitionem clamosa insinuatio: hoc titul. sed tantummodo committere inquisitionem super fama Archiepiscopi, ut constat ex illis verbis: Inquisitionem famam tua.* Ad hanc enim inquisitionem sufficit modica diffamatio, nec desideratur infamia, cum in ipsa inquisitio fiat ad famam, vel infamiam investigandam; ita quod si infamia appareat, inquisitio fiat super crimine contra infamatum, juxta textum in *dict. cap. qualiter: quem ex hoc textu exponunt, & limitant ibi Immola in fine, Abbas num. 4. Felinus num. 3. vers. Opponitur ulterius, Marianus num. 16. Duennas regul. 298. limit. 3. Maranta de ordin. judic. cap. 6. num. 26. Jul. Clarus *dict. §. ult. quasi. 6. num. 4.**

11.  
Diffo-  
lutor  
dubia-  
diratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, cui ut satisfaciatur Aretinus in præfenti, *num. 12.* asserit Canonicos, de quibus in præfenti, non fuisse accusatores, nec tales ab Innocentio judicari; sed tantummodo denunciatores: & quia inscriptio attento Jure Canonico, locum non habet in denunciatione. *cap. qualiter 24. ad fin. hoc titul. verba illa hujus textus, citra vinculum inscriptionis, quæ vulgò exponuntur, id est ante vinculum, ipse*

accipit præter, seu extrà vinculum, quasi hoc casta inscriptioni locus non esset. Verùm intellectus hic non solum repugnat proprietati verborum, verùm & menti ipsius Innocentii, qui intendit, & supponit Canonicos fuisse accusatores; aliter enim si essent tantum denunciatores, frustra se excusarent; eo quod nuntius mandatum excefferit accusando; & frustra Pontifex diceret eosdem destitisse ab accusatione, quod necessarid supponit eos accusare, *l. destitisse ro. ff. de judic. l. non potest 209. de R. I. & apertius refellitur Aretini sententia, si seriò perpendatur integra hujus textus in præfenti transcripta. Quare hac omiffa solutione dicendum est, accusationem in præfenti casu legitimè cum inscriptione propositam non fuisse, & ita juxta supra tradita licitè, & impunè potuisse Canonicos desistere ab accusatione. Nec interest, quod citatio præcessisset. Undè videtur, Canonicos accusationem deseruisse. Nam responderetur in hac materia non attendi, nec considerari tantummodo quod accusatio pendeat, sed quod instituta sit per libellum in forma juris, cum prædicta inscriptione; & consequenter sicut citatio non requiritur, ita nec sufficit per se, nisi præcedat solemniss scriptio. Nec obstat, quod si accusator desistere possit post citationem, jam daretur eidem occasio vexandi adversarium per citationem; & insuper infamandi eum de crimine. Quia responderetur, quod licet si post citationem desistens non incidat in pœnam Turpilliani, quæ ante inscriptionem non habet locum; nihilominus in expensis, & damnis ex citatione sequutis condemnandus est, juxta dictam legem 3. C. qui accusare, legem eam quem 79. in princip. ff. de iudicis, cap. calumniarum, de pœnis: docet Glossa 2. in præfenti, verbo Sed videtur. Et etiam actione injuriarum conveniri valet, juxta textum in *l. rem apud 25. §. ait, vers. Si quis libello, ff. de injuriis.* Quod si iustus, in præfenti casu Canonicos post citationem desistentes nullatenus condemnari, immò Innocentium asserere ex juris permissione non esse illis imputandum, quod desistere voluerint, ut habetur in *dict. vers. Quia verò: Responder Glossa, Canonicos excusari ab ejusmodi condemnatione, quia nuntius ab eis missus crimen deferendo exceffit mandatum, cum ipsi nunquam accusare intenderent. Quæ Glossæ solutio communiter refellitur ab Abbate in præfenti *num. 5. Anania num. 7.* ex quorum mente dicendum est, Canonicos non fuisse condemnatos in expensis, quia Archiepiscopus ad eorum petitionem citatus non fuit; sed tantum à Cælestino III. Innocentii prædecessore ex officio citatus: quæ sententiâ admiffa, cessat alia difficultas, cur videlicet Cælestinus contra legem 2. *vers. ex longinquo, Cod. de exhib. reis.* Archiepiscopum citaverit antequam accusatores accusationis inscriberent. Cui difficultati non satisfaciunt Abbas *num. 2. Aretinus num. 2.* qui asserunt, dictum verficulum *ex longinquo,* non servari in Curia Romana. Verùm dicendum est, textum illum agere de citatione ad instantiam, & petitionem accusatoris, ut notat Glossa *ibi, verbo assensus;* non verò de citatione facta officio Judicis. Nec tandem obstat textus in *Authent. qui semel, Cod. quomodo & quando,* ubi post citationem non licet actori desistere. Nam responderetur textum illum tantum procedere in causis civilibus, non verò in criminalibus, ut docuerunt Innocent. & Cardinalis in præfenti, quos sequitur Anania *num. 3.* Videndus *Do. nel. lib. 22. cap. 5.***

Nec

13.  
Dissol-  
viur  
secunda  
difficul-  
tas.

Nec obstat secunda difficultas supra expensa, pro cuius solutione distinguendum est. Aut enim agitur de eo, qui accusare omittit, & non vult accusationem inchoare, qui penitentiam ductus, re integrâ potest accusare, *dist. l. 3. vers. si is, cuius*. Idem dicendum videtur in eo, qui post propositam accusationem, ante inscriptionem licitè desistit. Aut agitur de illo, qui post accusationem desistit eo tempore, quo desistere non potest, & tunc in Turpillianum incidens amplius accusare nequit. *dist. l. 2. l. questum, in fine, l. abolitionem 16. Cod. ad leg. Jul. de adult.* Si autem desistat licitè, id est post inscriptionem, sed præcedente abolitione publica, vel legali, poterit accusationem repetere, juxta terminos legis 3. §. *ultim. in fine, ff. hoc tit. l. si cui 7. l. si interveniente, ff. ad Turpil.* secus verò si privata procedat abolitio, *l. mulier. §. ult. ubi Glossa, ff. ad Turpil. l. 1. C. de abolit.* Ubi autem quis ante inscriptionem licitè desistit, & insuper legitimè interrogatus, an velit proseguere accusationem, noluit, vel dixit se ulterius non accusaturum, licet postea etiam re integra accusare velit, non est audiendus. Quo casu procedit hic textus in *vers. Nos igitur*; si qui-

dem in ejus specie Canonici per Pontificem interrogati responderunt, accusare nolle. Sic etiam procedit textus in *dist. l. accusatione*, si expensas verba illa: *Aqua discedere te professus es*. Consonat Regula legis *queritur 14. vers. Remittentibus, ff. de adult. edict.* Sic planè non excluduntur in præsentem Canonici ab accusatione, nec silentium ipsorum perpetuum imponitur ex eo tantum, quod desistunt; quia cum ante inscriptionem, & per consequens illicitè fecerint, nihil erat eis imputandum, ac proinde nec excludendi erant. Arcentur ergo ab accusatione, quia interrogati per Pontificem dixerunt se accusare nolle: in quo sensu Innocentius dum in *vers. Nos igitur*, eos excludit, non expendit præcipuè desistentiam, de qua in *vers. sequenti*; sed interrogationem, & responsionem eorum; & sic non satis probat textus hic eam conclusionem, ad quam expeditur, & commendatur per Abbatem *num. 4.* & similiter dum Pontifex in *dist. vers. Nos igitur*, Canonicos repellit, & perpetuum eidem silentium imponit, non procedit specialiter in Romano Pontifice, ut existimabat Felinus *hic*.

## C A P U T XV.

Idem a Salesburgen. Archiepiscopo.

Veniens ad Apostolicam Sedem Venerabilis f. n. b Pragen. c Episcopus inter alia proposuit coram nobis, quod cum esset filius d Sacerdotis, in Ecclesiam Pragen. concessum, & per Sedem Apostolicam confirmatum, homagium dil. f. n. Duci f Bohemix præstitit, ac regalia g recepit ab eo, sic subiciens Pragen. Ecclesiam servituti. Et infra: Undè nos prædictum Episcopum ad Festum Resurrectionis Dominicæ proximo præteritum peremptoriè meminimus citavisse. Idem verò Episcopus per nuntios, & litteras ad suam excusationem viarum discrimina, h consecrationem chrisimatis imminentem, quod Filius Nobilis viri Bohemix Principis esset per ipsum baptizandus tunc temporis allegavit. Licet autem excusationes hujusmodi, sicut erant, frivolas existimantes, ipsum reputaverimus contumacem, nec i Procuratores ejus in causa possemus recipere criminali: eis tamen dil. fil. n. G. Sancti Angeli, & H. Sancti Eustachii Diacon. Card. concessimus auditores, ut si possent, illum aliquatenus excusarent. Cumque prædictus A. coram eis repetiisset objecta, ei fuit ex adverso responsum, quod cum olim super hoc ad Venerab. f. n. Margdeburg. Archiepiscopum literæ fuerint impetratæ, idem A. qui contra Episcopum solus agebat, in objectorum se videns probatione deficere, depositis vestibus, & pedibus nudis, ad pedes ejus humiliter se prosternens veniam postulavit, & quod adversus eum calumniosè processerat, est confessus. Cæterum cum super hoc mandato stare ejusdem Archiepiscopi juravisset, ipse præcepit proponere non auderet. Nos igitur intellectis per Cardin. eisdem, quæ fuerunt hinc inde proposita, cum Nobis expressius ipsius A. confessione constaret, ipsum juramentum præstitisse, ac tale recepisse mandatum, super impetitione dicti Episcopi silentium ei dedimus imponendum: propter contumaciam tamen Episcopo citationem, & purgationem propter infamiam indicentes.

## N O T Æ.

1. a *Salesburgen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titul. cap. 2.* & præfens Decretalis missa est Adalberto Regi Bohemix, cuius tempore intrusi fuerunt in eadem Ecclesia Henricus Præpositus, & Conradus 3. ut refert Bucelinus *tom. 1. Germania, fol. 43.* De hac Metropoli nonnulla notavi in *cap. 1. de conjug. servor.*

b *Pragensi.*] Pragensis civitas est Regni Bohemix, in qua primus Boleslaus II. cognomento Pius; Dux Bohemix, & Moravia, facultatem instituendi proprium Episcopum à Pontifice Joanne IX. & Othone I. Imperatore impetravit Anno Christi 967. qui Metropolitano Moguntino subiectus, ab eo consecrationem acciperet, ab

ab Imperatore verò regalia, ut referunt Agecius in *chron. Bohemia*, ibi: Anno 966. in *Quadragesima* mittitur solennis legatio à Boleslao Duce, & universo *Bohemorum* Clero ad *Othonem* Imperatorem, ut *Majestatem* ejus nomine Ducis, & totius populi supplicent pro licentia Episcopi constituendi & ut *Majestas* ejus velit consentire, ut *Praga* fiat *residencia* Episcopalis. Quo voto Boleslaus porit<sup>9</sup> elegit *Dethmarum* in Episcopum natione Saxonem, ut testatur *Dubrauius Olomucensis* Episcopus, ibi: *Joannes IX. Roman. Pontifex* nominandi *Praga* *Prasulis* Boleslao potestatem faciebat, atque is *Dethmarum* quendam à *Saxonia* oriundum, de sententia omnium *Sacerdotum* primum in *Bohemia* Antistitem nominavit, curaque habuit ut solenniter, & more aliorum in *Germania* Pontificum à *Moguntino* *Prasule*, tanquam suo *Metropolitae*, inauguraretur, utq; regalia ab *Othone* *Cesare* acciperet. Referunt *Aubertus Mireus* de rebus *Bohemiae* cap. 7. *Goldastus* de *Regibus Bohemiae* lib. 5. cap. 4. notavi in cap. 9. de exceptionibus.

3. c *Episcopum*.] *Danielem* videlicet, qui prius fuerat *Uladislai* Regis *Capellanus*.

d *Filius Sacerdotis*.] Et ita irregularis, & ut illegitimus, incapax erat Episcopatus, juxta tradita in cap. cum in cunctis, de elect.

4. e *Privilegium*.] Episcopi enim *Pragensis*, *Olomucensis*, *Uratislaviensis* Regi *Bohemiae* non praestant homagium, sed tantum fidelitatem promittunt, ex pacto *Calixti* Papae & *Henrici*

*V. Imperatoris*, ut ex aliis narrat *Goldastus* de *Regibus Bohemiae* lib. 5. cap. 3.

f *Duci Bohemiae*.] In aliis libris legitur *Regis*; & rectè, nam ab anno 1038. seu 1061. *Uratislaus* Dux *Bohemiae*, ab *Henrico IV. Imperatore* Rex creatus fuit, licet *Regius* deinceps honor ad annos 60. interceptus fuerit: & postea *Uladislaus II.* à *Friderico Barbarossa* Imperatore Rex *Bohemiae* creatus fuerit: sed post ipsum denuò interregnum fuit usque dum anno 1197. *Primislaus*, dictus *Otho. arus*, *Uladislai* Regis filius, à *Philippo* Imperatore manu propria coronatus *Moguntiae* in conventu Principum, tertius Rex *Bohemiae* fuit, de quo agitur in praesenti; ex quo tempore regia dignitas in ea provincia continuata est, ut refert *Aubertus Mireus* cap. 2. de rebus *Bohemiae*.

g *Regalia recepit*.] Juxta morem, quem retuli, & illustravi in cap. de elect.

h *Consecratione chrisimatis*.] Quae necessariò facienda est ab Episcopo in feria quinta majoris hebdomadae, ut probavi in cap. quanto, de consuetud.

i *Procuratore ejus*.] Ad excusationem delicti, nam ad proponendas causas absentiae etiam in judicio criminali procurator admittitur, l. servum 33 ff de procurat. l. reos, C. de accusat. Salcedo in praxi, cap. 151. quod latè exposui in cap. una, de procurat. & textum hunc illustravi in cap. nimis de iurjur.

## CAPUT XVI.

Idem Sancti Fridiani Priori, & Magistro B. Canonico  
Pisan.

Super his, de quibus nos consulere voluistis, inquisitioni vestrae breviter respondemus, quod tribus modis valet crimen opponi, denunciando, excipiendo, & accusando. Quando crimen in modum denunciationis opponitur, ad denunciationem non est inscriptio necessaria: sed cum in modum accusationis objicitur, oportet inscribi, quoniam ad depositionem instituitur accusatio, sed ad correctionem est denuntiatio facienda. Cum autem excipiendo fuerit crimen obiectum, distinguendum est, quare opponatur, & quando: si autem objicitur ut ab accusatione, vel testificatione aliquis repellatur, non est inscribi necesse: sed cum opponitur, ut quis à promotione officii, vel beneficii excludatur, si ante confirmationem objicitur, non cogitur quisquam inscribere, quia crimen hoc modo probatum impedit promovendum, sed non dejicit jam promotum. Post confirmationem verò, cum scilicet promovendus fuerit aliquis, aut consecrandus, quia ab obtinendo repellit & dejicit ab obtento, ad extraordinariam quidem poenam secundum arbitrium discreti Judicis, citrà vinculum tamen inscriptionis est excipiens astringendus, si defecerit in probando: pro eo, quod crimine sic probato, perdit quod per electionem, & confirmationem ei fuerat acquisitum, sed ob hoc prius habitum non amittit: licet enim agatur de crimine, non est tamen hujusmodi quaestio criminalis. Undè per e Procuratorem potest ritè tractari. Clericus autem, qui pro eo, quod variaverat, & vacillaverat, coram nobis, de mandato nostro captus est, & detentus, infamiam non incurrit. Cæterum volumus, & praesentium vobis auctoritate mandamus, ut super inquisitionis articulis, tam de fama electi, quam literis contra eum sub nomine longè majoris, & sanioris partis Capituli destinatis, cogatis testes, qui nominati fuerint, perhibere testimonium veritati.

1. a) *S. Anelli Fridiani.* ] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 3. & in cap. super his, de penis, cap. super his, de rest. cogend. ubi extant alia partes hujus textus. Ejus historiam retuli in cap. tam literis, de testibus.

b) *Ad correctionem est denunciatio.* ] Nem eum per viam exceptionis crimen objicitur in judicio civili, ut cap. si consueti 12. cap. ad petitionem 22. hoc tit. l. Papinianus, § filius, ff. de in offic. testam. non agitur principaliter, ut quis puniatur, sed ut à judicio excludatur; quia exceptio est actionis exclusio, l. 2. ff. de except. cap. 2. de ordin. cognit. Nec tunc obstat textus in cap. item cum quis 4. de restit. spol. ubi opponens exceptionem criminis contra agentem de spoliatione, non auditur, quia hoc modo criminaliter agi dicitur. Quia dicendum est, in eo textu crimen oppositum non fuisse per modum exceptionis, sed principaliter agendo per viam reconvencionis, & accusationis, ut constat ex illis verbis, objiciendo crimen agere non potest, ut docuit Beronius in cap. 1. de iudicis, num. 73. Aliquando tamen & qui crimen apposuit per modum exceptionis, si in ejus probatione defecerit, puniatur, ut in c. 1. §. adjicientes, de elect. in 6.

c) *Procuratorem.* ] Quia aliàs si iudicium esset criminale, non admitteretur, juxta tradita in cap. tua, de procurator.

## COMMENTARIUM.

2. *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Accusans criminaliter ad vindictam, inscribere debet; denunciator vero non item.* Probat eam textus in cap. non probaverit, cap. mandasti 10. 2. qu. 5. cap. quis quis, cap. qui crimen. 2. qu. 8. cap. 8. 3. qu. 9. cap. nullus, §. inscriptio 4. qu. 4. cap. qui calumniam 5. qu. 6. Synodus Constantinopol. can. 6. ibi: *Quam simili poena accusatores inscribant, subituri eam, si quid per calumniam intendunt.* Et l. 3. l. si cui 7. ff. de accusat. l. si quis 8. Cod. eod. tit. l. 2. §. penult. ff. ad leg. Jul. de adult. l. ult. ff. de furtis, l. si quis obreplevit 99. ff. ad leg. Cornel. de falsis, l. 1. Cod. ad Turpil. l. ult. Cod. de injuriis, l. 2. Cod. de exhib. reu, l. 3. Cod. de his qui accusare, l. 24. Cod. Theodos. de custod. reor. l. 1. Cod. Theodos. de accus. ibi: *Nullus secundum juris prescriptum crimen, quod intendere proposuerit, exequatur, nisi subeat inscriptionis vinculum.* Et l. 8. 9. 14. & final. eod. tit. l. 8. eod. Cod. de famosis libellis. Illustrant ultra congestos à Barboisa in presert. Anton. August. in epit. juris lib. 30. tit. 15. Fornerius in notis ad Cassiodorum lib. 6. epistol. 15. Ant. Matthæus de crimin. ad tit. de accusat. cap. 6. per totum, Petrus Herod. lib. 1. Pandect. tit. 5. cap. 12. Bignonius in notis ad veteres formul. cap. 29. Paulus Idumay in notis ad Innoc. III. lib. 2. epistol. 201. Scipio Gent. ad Apulei. apolog. cap. 2. fol. 14. Vultei de judic. lib. 2. cap. 4. & 5. num. 233. Anton. August. in notis ad can. Hadriani canon. 7. 10. 9. Concl. Bini. Reparatus ad leges 12. Tabul. cap. 25. in princip. Cuiac. in l. 6. Cod. de accusat. Hunnius ad Treul. volum. 1. disp. 12. quæst. 56. D. Joannes Vela de modo procedendi, cap. 5. num. 26. P. Gregorius lib. 32. syntag. cap. 7. num. 6. & lib. 5. partit. tit. 9. cap. 4. num. 3. Ouald. lib. 18. Donel. cap. 10. litera D. D.

Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2. nu. 20. Brissonius lib. 1. select. cap. 1. Tarturet. dissert. 43. jurid.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Valdè Reipublicæ interest, ut delicta non maneant impunita, & sint qui crimina deferant, reosque in judicio acculent, l. inde Neratius, cum vulgatis, ff. ad leg. Aquil. Sed si accusator cogatur inscribere, & ita poenæ ratione se subicere, nemo audebit accusare, cum facile absque propria calumnia possit in accusatione defecere, aut quia non plane probavit, propter repulsionem testium, aut imperitiam advocati; vel quia testes à potentiori advertario subornati verum taceant: igitur ne delicta maneant impunita, cogi non debent accusatores ad inscribendum accusationi cum sui capitis aperto periulo. Deinde ea pars assertionis, ubi docetur, denunciatores inscribere non debere, difficultis redditur; nam delatores criminum, si quos per calumniam denunciaverint, puniuntur, l. 2. in principio. §. D. Pius, l. Senatus 15. §. 1. & 2. l. res qua 22. §. ultim. cum duabus legibus sequentibus, de jure sisci: latè probat Amaya in l. 1. Cod. de delat. num. 19. Igitur in hac parte nulla est differentia inter delatorem, & accusatorem.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, jure civili Romanorum eorundem fuisse formam exercendorum judiciorum publicorum, quam recenset eruditus Brissonius lib. 2. select. cap. 1. licet postea extraordinariè quæri de criminibus cepisset, ut restantur Consulti in l. ordo, ff. de public. judic. l. in Senatusconsultum, §. 1. ff. ad Turpil. l. 1. §. ultim. l. hodie, ff. de penis. Et primò, quia alium accusare volebat, deferrebat ad Prætorem, vel eum qui jurisdictioni criminali præerat, nomen rei, petens, ut inter reos reciperetur: & si præsens erat reus, vocabatur, ducebaturque eum ad Prætorem: si vero abesset, delato nomine, atque inscriptione factâ, reus citabatur, exhibebaturvè. Tacitus lib. 2. annal. ibi: *Marcus Vinius nuntiavit Pisoni, ut Romam ad dicendam causam veniret: ille eludens respondit ad futurum, ubi Prætor, qui de veneficiis quæreret reo, atque accusatoribus diem prædixisset. Seneca in apoïog. col. Ducit illum ad tribunal Eacii: is lege Cornelia, quæ de ficiariis lata est quærebat: postulat nomen ejus recipi, edit subscriptionem, occisos Senatores 30. Equites Romanos 315. Cicero 4. in Verrem. Hic tum repente Pasilus quidam homo egenus, & levis accedit: ait, si liceret, nomen ab ejus deferre se velle. Iste vero, & licere, & fieri solere, & se recipiurum. Sequebatur inscriptio, quæ nihil aliud est, quam professio accusatoris, quâ proficitur se exempli gratiâ Titium deferre ex lege Aquilia; eumque reum à se peractum iri. Et licet inter inscriptionem, & subscriptionem accusationis nihil interesse existimet Vultei de judicis lib. 2. cap. 4. num. 119. quia subscriptio pro inscriptione ponitur in l. si cui 7. ff. de accus. l. si obreplevit 29. ff. ad l. Cornel. de falsis l. si quis servos, Cod. de accusation. & promiscuè accipiantur in l. ultim. de privat. delictis l. final. ff. de furtis, l. Aithales 24. ff. ad leg. Cornel. de falsis, l. 2. Cod. ad Turpil. Tamen verius est, multum interesse inter scribere, & subscribere. Inscribere dicitur accusator, eum reum se aliquem facere alicujus criminis proficitur libello: quæ inscriptio libelli appellatur, & ejus forma extat in l. libellorum*

lorum 3. ff. de accusat. in Glossa Basilic. lib. 60 tit. 42. inter veteres formulas Marculfi cap. 29. apud Apuleium in apolog. capit. 2. & ex cuiusdam monachi schedis ita transcribit Brisson. lib. 5. formul. Ego ipse adversum te in rationibus publicis adfisso: si te iniuste interpellavero, & vitibus exinde apparvero, eadem penam, quam in te vindicare pulsavi, me constringo, atque conscribo partibus tuis esse damnandum, & pro rei totius firmitate manu propria firmo, & honorum virorum iudicio roborandum dabo. Subscribere est confirmare inscriptionem, cum is, qui libellum dedit, vel alius pro eo, si litteras nesciat, subscribit se professum esse, ut in dist. l. 3. & hæc subscriptio est quasi vinculum, quo se accusator ad penam talionis obligat, si temerè, & falsò accusaverit, aut reum non peregerit, l. si cui crimen, ff. de accusat. l. 11. Cod. Theod. de accusationibus, l. 8. Cod. Theod. de iurisdic. notavit Ballamon in can. 131. Synod. Carthag. I. dedo libellum hunc vinculum talionis dixit Carnot. epist. 51. & 138. & ita idem est qui inscribit, & subscribit, licet olim alius esset, qui reum deferebat & inscribebat, alius qui subscribebat, quales erant causidici, qui se accusatori iungebant, vel iurandi, vel observandi gratiâ, ut Aconius notat 1. in Verrem: Subscripiores dicuntur, inquit, qui adjuvare accusatorem causidici solent, quos oportet summissius agere, quam dicat ille, quem sequuntur. Nec solum chartarum causâ, atque iuvandi accusatoris adhiberi solent, sed etiam ut ne facile corrumpantur. De hoc subscriptore Cicero loquitur in epistola ad Q. Fratrem Gabinium: De a nobis reum fecit P. Sylla, subscribebente privigno Memmio. Tacitus lib. 1. annal. Nec multo post Grannium Marcellum Prætorum Bithynia Quæstor ipse Cepio Chrispinus Majestatis postulavit, subscribebente Romano Hispano. Idem Cicero 1. Verr. ibi: Ipse nihil est, at venit paratus cum subscriptionibus exercitatis, & discretis: est tamen hoc aliquid, tamen non est satis: omnibus enim in rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus & paratissimus esse debet. Et mox: Custodem, inquit Cælius Tullio, me apponite. Quid? mihi quam multis custodiibus opus erit, si te semel ad meas captas admisero? qui non solum, ne quid euntes, sed etiam, ne quid auferas, custodiendus sis. Eleganter Symmachus lib. 1. epist. ibi: Quid sit conditionis inscriptio, nostis præ cæteris; provisum est enim, ne quis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, nisi se idem prius pæne sponsonne vinciret. Ad quod respicit textus in l. penult. Cod. de accusat. in illis verbis: In causis criminalibus dignum est, ut inscriptiones proponant, quæ videlicet magnitudinem sceleris, tempusque designent, ut alterutram partem digna secum tenere possit auctoritas. Alterutram partem, inquit Imperatores, hoc est accusatorem, vel reum; accusatorem, si fefellerit; reum verò si accusator vera detulerit, l. non prius, C. de calumniatoribus. Cujus etiam inscriptionis singularis locus extat in l. causas, Cod. Theod. de iurisdic. Et quia accusator sese inscribebat ad eandem penam, sese ad penam talionis adstringere dicebatur: Eleganter Festus Pompeius ibi: Talionis mentionem fieri ait Verrinus hoc modo: Si membrum rupserit, ni cum eo pacit, talio esto. Nec id quid significet, indicat: puto quia novum est; D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

permittit enim lex parem vindictam. Inidorus lib. 5. etymol. cap. 27. Gellius lib. 2. noct. cap. 1. quod respexerunt Damasus Papa epist. 3. ad Stephanum Archiepisc. Adrianus Papa can. 48. ibi: Qui crimen objicit, scribat se probaturum revera, ut ibi causam agat, ubi crimen admittit: ut qui non probaverit quod objecit, penam, quam intulerit, ipse patiat. Ex quo emendandus est Gratianus, qui falsò retulit canonem hunc in cap. final. 3. quæst. 6. per hæc verba: Qui crimen objicit, sciat se probaturum: revera ibi causa agatur, ubi crimen admittit. Cum transcribere deberet pro verbo sciat, verbum scribat, ut notavit Ant. Augustin. in notis ad canonem 98. Hadrianus Papa, & lib. 1. de emendatione Grævani, dial. 14. de qua talionis pæna accipere possumus celebre decretum Damasi Pontificis relatum inter ejus decreta, tom. 1. Concilior. part. 1. pag. 512. in illis verbis: Si quis Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum falsis criminibus impetierit, vel accusaverit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem. Quæ verba de adulterii crimine esse accipienda existimamus idèd, quia pæna hæc primis illis Ecclesiæ temporibus pro adulterio imponebatur, can. 7. Concil. Ancyrani. D. Cyprianus in epist. ad Antonium Episcopum, can. 64. & 65. Concil. Illyber. ubi probavi: notavit Scipio Gentil. ad Apolog. Apulei in dist. cap. 2. Etiam sciendum est accusatorem in alia inscriptionis parte cavere debere se peffeveraturum in iudicio utque ad sententiam. Quæ cautio non per simplicem repromissionem datur, sed fidei iuramentis præstitis, l. 7. §. 1. ff. de accusat. l. 5. ibi: Fidei iuramentum de lre exorcenda adhibebis fuerit; Cod. de accusat. l. 1. & 2. Cod. ad Turpil. atque huiusmodi fidei iuramentis meminit Paulus in l. post legatum §. 5. sunt qui putant, ff. quod legat. & hanc cautionem olim ante vocationem in jus, unâ cum inscriptione præfari solitam fuisse, constat ex dist. l. 1. Cod. ad Turpil. Et licet hæc cautio jam exsolerit, optimâ tamen ratione olim inducta fuit, ut temeritas accusatoris etiam damno pecuniario coerceretur. Habebat enim hæc cautio aliam partem, de custodia videlicet rei accusatæ, seu ejus modo, quam prosequitur Vultreus de iudicis lib. 2. cap. 5. num. 142.

Sunt tamen certi casus, in quibus inscribere accusator non cogitur. Et primò in levioribus delictis, quia audiuntur, & discutuntur de plano, absolutis videlicet reis, seu fustibus castigatis; servis verò flagello verberatis, l. l. via 6. ff. de accusat. l. unius 18. §. ultim. ff. de quaestio. l. nequaquam 9. §. de plano, ff. de officio Proconsul. in gravioribus verò, quia de vita, & fortunis hominum agitur, idèd major observatio solennium desideratur: leviora autem, quæ non ita magni præiudicii sunt, de plano discuti debent. Deinde cessat inscriptio cum mulier suam, suorumve injuriam prosequitur, l. de crimine 12. Cod. qui accusare: quod & in delatoribus observatur, qui suam, suorumve injuriam prosequuntur, l. deferre 18. §. sed si communem, l. filius 38. §. final. l. delator 44. ff. de iure fisci, l. ex libertate 26. ff. de liberal. causa. Vel si parentes mortem liberorum, aut contra liberi necem parentem exequantur; cum enim eo casu cesser calunnia, Senatusconsultique Turpiliani pæna, l. 2. & 4. Cod. de calumni. l. ult. ff. de public. iudic. l. in Senatusconsulto 15. §. eos,

eos, ff. ad Turpil. ad quid inscriptio? De marito accusante adulteram, dicemus in cap. maritis, de adulteriis. Item cessat inscriptio, cum quis crimen in adversarium retorquet, quia quamvis eo ipso actoris partes sustinere videatur, inscriptione tamen non oneratur, argumento legis 2. § si publico, & sequent. ff. ad leg. Jul. de adult. l. qui cum major 14. §. libertus, ff. de bonis libert. & expressè in hoc textu ab Innocentio docetur, quia non verè aculat, qui retorquet crimen, cum Innocentia dumtaxat defendendæ gratiâ faciat. Quintilianus lib. 7. instit. cap. 3. ibi: Sed si quando in partibus laborabimus, universitate pugnandum est, sive invicem accusant, sive crimen reus ultera accusationem in adversarium restituit, ut Roscius in accusatores suos, quamvis reos, non fecisset; non enim tunc est accusatio, sed defensio. Quare cum ex Senatusconsulto Syllaniano præmium præstetur ei, qui ex familia fervorum eadem Domini indicaverit, vel accusaverit, l. in lege 25. ff. ad Syllan. non videtur aculare ut præmium consequatur, qui in alium, cum argueretur, crimen detorsit, l. 3. §. virum 14. ff. ad Syllan. ubi pro vindicasse, legendum esse indicasse, notarunt Ant. Augustin. lib. 2. emend. capit. 19. Cuiac. lib. 18. obs. cap. 22. cuius textus argumento docet ex aliis Amaya ad titul. de delat. numer. 32. quod si præmium ex statuto proponatur occidenti bannitum, & aliquis eum occiderit, non ultrò, sed defendendo, non allequitur præmium, quia lex non confiderat, quod casu evenit, sed quod principaliter fit, l. si quis nec causam, ff. si certum petatur, l. qui injuria 53. ff. de furtis: nec lex voluit præmio afficere illum, qui non ut illi pareret, sed potius ob propriam defensionem id efficit, l. unum 67. §. si de Falciadia, ff. de legat. 2. l. 2. ff. de condit. & demonstr. Alias quoque exceptiones aliqui deducunt ex l. ne quis 6. Cod. de Iudeis, l. 4. Cod. de apostataris, l. 4. Cod. de heretic. l. ea quidem 7. Cod. de accusat. sed non rectè, ut probat Anton. Mathæus ad tit. de accusat. cap. 6. in fin. Illud tamen notandum est, tantum hanc inscriptionem locum habere in iudiciis criminalibus, sive ordinariis, sive extraordinariis: in iudicio autem civili, quamvis de crimine agatur, non cogitur accusator in crimen subscribere; quoniam in eo pecuniariter agitur, l. ultim. ff. de privat. delict. l. final. de furtis, l. is cui 4. §. si verò, C. de sportul. quamvis Bignonius in notis ad veter. formul. cap. 20. ex eo probet, etiam in causis civilibus pro expensis subscriptionem desiderari.

6. Ratio autem cur ita diligenter hæc inscriptio in accusatione desideretur, ex eo provenit; nam cum grave sit aliquem in iudicio criminali, in quo plerumque de vita agitur, accusari, compescenda erat accusatorum injuria, sive, ut loquitur Ulpianus in l. final. ff. de furtis, timeritas agentium coercenda, ut ita non facillè quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram, l. si cui 7. ff. de accusat. Siquidem per hanc inscriptionem obligat se fideiussoribus datis ad prosequendum iudicium, l. qui crimen, Cod. qui accusare, l. 2. §. ex iniquo, Cod. de exhibend. reis. Et etiam profiteretur se probaturum crimen delatum, aliàs pœnam eandem, quam meretur

crimen illud, subitutum, cap. quisquis, cap. qui crimen 2. question. 3. cap. nullus, §. inscriptio 4. question. 4. dict. l. 2. Cod. de exh. reis. Ad quam Theodosii constitutionem respexit Symmachus lib. 10. epist. 63. a. Theodos. ibi: Quid habeat conditionis inscriptio, nostris præceteris: provisum est enim, ne quis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, nisi se idem prius pœne sponcione vinceret. Quod autem scripsit Theodosius in dict. l. 2. accusatorem videlicet subscriptione facta, se vincere recipere pœna, ita accipiendum est, quod subiciat se talioni, & simili supplicio, ut idem Theodosius expressit in l. ultim. Cod. de calum. l. ultim. Cod. de accusat. notavit D. Joan. Suarez ad l. Aquil. in apparat. cap. 2. num. 22. Gothofr. in l. 5. Cod. Theodos. de accusat. Sic ergo cum hoc periculo capitis sui accusator facillè à falsa accusatione retraheretur, & ea quæ probare non poterit, in alterum non concieret, potiusque in privatis delictis eligeret agere civiliter (in quo iudicio non exigitur inscriptio,) quam criminaliter: unde meritò Innocentius in præsentem docet, accusatorem debere in accusatione inscribere, quia agit ad pœnam, & vindictam; denunciatores verò non teneri subscribere, quia tantum correctionem intendit: nec eum, qui retorquet crimen, quia potius excipiendum, ut se defendat, quam ut accuset, facit.

Nec obstat dubitandi ratio suprâ adducta, quæ adeò efficax est, ut ab hac inscriptionis solennitate, atque pœna talionis recessum sit hodie generali consuetudine, ut probant Scaccia de iudicis cap. 15. numer. 14. Anguianus lib. 2. de legibus, capit. 7. numer. 24. quod ea potissimum ratione factum ait Gaillius lib. 1. de pace publ. capit. 9. numer. 3. ne metu propriæ salutis quis ab executione criminis, id est ab accusatione, desistat, & sic etiam sceleratissimi impuniti remaneant. Sed licet jure prætorio pœnam talionis abrogatam fuisse censent Gaillius dict. cap. 9. numer. 3. Menoch. de arbitr. lib. 1. question. 79. numer. 5. per textum in §. pœna, Instit. de injuriis; meritò eos refellit Vulteus de iudic. lib. 2. cap. 4. Constat tamen hujus inscriptionis necessitatem aliquando remissam fuisse ex l. 5. C. Theodos. de accusat. idque Antonini Imperatoris rescripto cautum fuisse testantur Valens, Gratianus, & Valentin. in l. final. Cod. Theodos. ad leg. Cornel. de falsis; tamen Justin. eo ipso quod hæc rescripta in suum Codicem non retulit, necessitatem pristinam hujus inscriptionis restituisse videatur. Et licet generali consuetudine hodie hæc inscriptio ab usu forensi desisset, non tamen idèò impunitus remanet, qui per calumniam acculavit, immò extra ordinem arbitrio iudicis punitur usque ad pœnam talionis in causis gravioribus, ut dicemus in cap. 1. de calum. Nec obstat, quod de delatoribus dicebamus; nam denunciatores, de quibus agit Innocentius in præsentem, idèò non inscribunt, quia ad correctionem tantum reum criminis deferunt; delatores verò spe præmii, & lucri id faciunt, l. 2. in princip. ff. de jure fisci. Unde valde exosi semper delatores fuerunt. Apud probos Imperatores, humani generis inimici dicuntur in l. 2. Cod. Theodos. de delatoribus: immò & variis pœnis afficiuntur, ut probavi in can. 73. Concil. Illiber. & illustrat Demisterus ad Romanum lib. 9. fol. 937.

Sed adhuc præsentem assertioni obstat textus in cap.

8. Exponitur

cap. 2. de calumn. ubi denunciator per calumniam  
 pena suspensionis punitur: ergo quia non tantum  
 accusator, verum & denunciator subscribere de-  
 bet, cum deficiens in probatione criminis illati æ-  
 quali pœnâ puniatur. Cui difficultati ut satisfaciat  
 Cardinalis ibi, docet denunciatores in ea spe-  
 cie non ad correctionem, sed ad vindictam egisse:  
 ideoque quia per calumniam detulit, à beneficio  
 suspendi. Sed hæc solutio quia nimis restringit  
 textum illum, communiter à Doctoribus refelli-  
 tur: quare eâ omisâ verius dicendum est, denun-  
 ciatore non tenere inscribere, si ad correctionem  
 tantum agant, ex præsentis textu, & cap. licet, infra  
 hoc tit. Si autem se offerant probationi delictor-  
 um, ad eorumque instantiam procedatur ad in-  
 quisitionem, quia tunc quodammodo accusato-  
 rum partes sustinent, puniuntur propter calumni-  
 am. Accedit quia in dist. cap. 2. agitur de calum-  
 nia commissa à subdito erga Prælaturam, quæ om-  
 nino punienda est, cum aliâs facile subditi Præ-  
 latorum suos, à quibus passim increpantur, objurgan-  
 turque, diffamarentur falsis illatis criminibus.  
 Nec interest, quod delator non inscribit, quia  
 non valet argumentum: Ergo, non punitur; nam  
 qui contra electum, & non confirmatum crimen  
 excipit, non inscribit; quia ad pœnam non agit,  
 ex præsentis textu: & tamen si in probatione de-  
 ficiat, punitur, cap. 1. de elect. in 6.

Deinde præsentis assertioni obstat textus in can.  
 41. Concil. Alisiod. in illis verbis: *Non licet pres-  
 bytero, nec diacono quemquam inscribere, sed in vice  
 sua si causam habuerit, aut fratrem, aut quemcum-  
 que sacularem roget.* Ex quibus deducitur, non  
 solum acufatorem non teneri inscribere, verum  
 nec licere illi inscribere. Pro cuius canonis expo-  
 sitione sciendum est, non licere sacerdotibus lai-  
 cos accusare, cap. sicut 6. ibi: *Sicut sacerdotes, vel  
 reliqui clerici à secularium laicorum excluduntur  
 accusatione, &c.* nisi protestatione facta se pœnam  
 sanguinis non intendere, cap. 2. de homicid. in 6.  
 Illustrant. Covarr. in Clement. s. fariosus, part. 2. §.  
 5. Gomez lib. 3. var. cap. 1. num. 33. Iranzo de pro-  
 test. fol. 268. Unde in dist. can. 41. dum PP. asse-  
 runt non licere presbytero, vel diacono quem-  
 quam inscribere, accipiendi sunt, id est quemquam  
 accusare, & inter reos criminum deferre: sed si pro-  
 priam presbyter prosequatur injuriam, vice sua,  
 id est pro eo alio secularis inscribat, ut ira presbyter  
 ab accusatoris munere arceatur, & emendatione in-  
 jurie sibi illatæ assequatur: non ergo in eo canone  
 improbat solennitas inscriptionis, sed tantum  
 juxta veteres canones prohibent PP. presbytero,  
 aut diacono laicos accusare.

Exponi-  
 tur can.  
 45. Con-  
 cil. Al-  
 isiod.

## CAPUT XVII.

Idem Vercellen, Episcopo, & Abbati de a Cilicito.

Qualiter, & quando debeat Prælatus procedere, ad inquirendum, & puniendum  
 subditorum excessus, ex auctoritate novi, & veteris testamenti colligitur evidenter,  
 ex quibus postea super hoc processerunt canonice sanctiones. Legitur enim in <sup>b</sup> Evan-  
 gelio, quod ille villicus, qui diffamatus erat apud Dominum suum, quasi dissipasset  
 bona ipsius, audivit ab illo: *Quid est hoc, quod audio de te? Redde rationem villi-  
 cationis tuæ, jam non poteris villicare.* Et in <sup>c</sup> Genesi Dominus ait: *Descendam, &  
 videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Ex quibus aucto-  
 ritatibus manifeste probatur, quod non solum cum subditis, verum etiam cum Præ-  
 latus excedit, si per clamorem, & <sup>d</sup> famam ejus excessus ad aures superioris perve-  
 nerit, non quidem à malevolis, & maledicis, sed à providis & honestis, nec semel  
 tantum, sed sæpe, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ec-  
 clesie senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut si rei poposcerit qualitas, canonica  
 districtio culpam feriat delinquentis; non tanquam sit actor, & iudex, sed quasi de-  
 ferente fama, vel nuntiante clamore, officii sui debitum exequatur. Licet autem  
 hoc sit observandum in subditis, diligentius tamen est observandum in Prælatibus, qui qua-  
 si signum sunt positi ad sagittam: & quia non possunt omnibus complacere, cum ex offi-  
 cio teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere,  
 nonnunquam verò ligare: frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur:  
 & ideo sancti <sup>e</sup> Patres providè statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facile admitt-  
 retur, ne concussis columnis corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per  
 quam non solum falsæ, sed & malignæ criminationis janua præcludatur. Verum ita vo-  
 luerunt providere Prælatibus, ne crimarentur injuste, ut tamen caverent, ne delinque-  
 rent insolenter, contra utrumque morbum invenientes congruam medicinam, ut vi-  
 delicet accusatio criminalis, quæ ad diminutionem capitis, id est ad degradationem in-  
 tenditur, nisi legitima præcedat inquisitio, nullatenus admittatur: sed cum super excessi-  
 bus suis quisquam fuerit infamatus, ut interim jam clamor ascenderit, quod diutius sine  
 scandalo dissimulari non possit, nec sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupu-  
 lo

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

D 2

pulo



pulo ad inquirendum, & puniendum ejus excessus, non ex odio fomite, sed ex charitatis procedatur affectu. Quod si gravis fuerit excessus, et si non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoveatur omnino: quod est secundum Evangelicam veritatem, à villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem. <sup>f</sup> Hunc igitur ordinem si circa ven. f. n. g. Novariem. Episcopum observastis, intentionem & discretionem vestram in Domino commendamus: si verò qualibet causâ prætermisistis eundem, ne per leve compendium, ad grave dispendium veniatur, adhuc ipsum ordinem tempore congruo volumus observari, ne inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur: & ideo disc. vestram rogamus attentius, & monemus, obsecrantes in Christo Jesu, qui venturus est judicare vivos, <sup>h</sup> & mortuos, quatenus ad conscientia vestra judicium recurrentes, si fortè contra præscriptum ordinem, tanquam homines excessistis, non pudeat vos <sup>i</sup> errorem vestrum corrigere, qui positi estis, ut aliorum corrigatis errores: quoniam apud districtissimum judicem, in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis; ita videlicet, ut inveniatis occasionem aliquam congruentem, per quam ne vestra vilescat auctoritas, quanto cautius, vel prudentius poteritis, superseadeatis ad præsens: quoniam ex iis, quæ inordinate sunt acta, non potest ordinabiliter agi. Si verò præscriptum ordinem custodistis, volumus, & mandamus, quatenus omni gratiâ, & timore postpositis, Deum solum habentes præ oculis, viâ Regiâ incedentes, sine personarum acceptione in hoc negotio procedatis juxta formam, quam vobis in aliis litteris diximus exprimendam: nec timeatis aliquem hominem contra Deum, sed Deum potius contra omnem hominem metuatis. Formam verò juramenti, quam à clericis Novariem. super inquisitione faciendâ in hoc negotio recepistis, in similibus volumus observari, ut videlicet jurent clerici, quod super iis, quæ sciunt, vel credunt in sua Ecclesia reformanda, tam in capite, quàm in membris, exceptis occultis & criminibus, meram & plenam dicerent veritatem inquisitionis. *Et infra:* Constitutiones verò quas ad correctionem excessuum, & reformationem morum vos non tam fecisse, quàm innovasse cognovimus, approbamus, volentes ut eas faciatis à clericis laudabiliter exerceri, præcipientes ex parte nostra Prælati, ut laicis conquerentibus plenam faciant justitiam exhiberi, non obstantibus appellationibus frustratoriis, quas in eorum gravamen clerici frequenter opponunt, ne pro defectu justitiæ clerici trahantur à laicis ad judicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus: & vos ne fiat, prohibere omnibus modis satagatis. Cæterum adversus hæreticorum fallacias sollicitudinem vestram vigilare oportet, monentes, & obsecrantes in Domino, quatenus ad extirpandum de agro Dominico lolium hæreticæ pravitatis, prudenter, & efficaciter intendatis.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> *Collecto.* ] Ita legitur in tertia collectione, sub hoc titulo. cap. 4. sed legendum est, *Ti- leto*, quod monasterium est Ordinis Cisterciensis, dictum sanctæ Mariæ de Tilieto, in diocesi Aquis, provincie Mediolanensis, ut ex Manrique retuli in cap. qualiter 17. de judiciis. Abbas hic electus fuit in locum Episcopi Novariensis, de quo in præfenti agitur, & illi electo tantum rescribit Innocentius in cap. ex litteris, de excessu. Prælat. non tamen constat, an suffectus esset in ejus locum, quia decessisset; an verò quia depositus fuisset virtute præfentis inquisitionis: & Vercellensis Episcopus, cui rescribit Innocentius in præfenti, postea translatus fuit ad Pisanam Ecclesiam, ut constat ex eodem capite ex litteris. De Vercellensi diocesi legi in cap. licet, de foro competenti.
- <sup>b</sup> *Evangelio* ] *Luca cap. 16.*
- <sup>c</sup> *Genesis.* ] *Cap. 18.*
2. <sup>d</sup> *Et famam.* ] Quæ plerumque à malevolis procedit. Div. Bernardus de consider. Mala fama parum obesse debet, cum ex humana suspicio-

ne nascatur, quæ prona ad malum est, & crebrius fallitur. Div. Hieronymus in epist. ad Rufinum: Multum in utramque partem fama mentitur, & tam de bonis mala, quàm de malis bona falso rumore concelebrat. Tertul. in Apolog. capit. 8. Div. Ildor. lib. 5. etymol. cap. 27. Quintilian. lib. 3. institui. capit. 3. & declamat. 12. & 18.

<sup>e</sup> *Sancti Patres.* ] Relati supra in cap. 4.

<sup>f</sup> *Rationem.* ] Verba hucusque relata usque ad vers. Debet, etiam reperiuntur in cap. qualiter, infra hoc titulo.

<sup>g</sup> *Novariensem.* ] Novariensis Ecclesia est in Italia, suffraganea Archiepiscopi Mediolan. de qua legi in cap. 2. de relig. dom.

<sup>h</sup> *Vivos, & mortuos.* ] Quibus verbis moti nonnulli PP. existimant, non omnes homines morituros esse. Sed licet de fide non sit omnes homines morituros fore, ut notat sanctus Thomas in epist. 1. Pauli ad Corinth. cap. 15. lect. 8. & in 4. distinct. 43. question. 1. artic. 4. Ecclesia tamen contrarium sententiam tenet, quam probat & defendit P. Karrier. tom. 1. Digest. fid. tract. 1. de carnis resurrectione.

Errorem

**i** Errorem vestrum corrigere. ] Sed certum est, eam differentiam versari inter iudicem delegatum, & ordinarium, quod delegatus prolatam sententiam, de eius nullitate cognoscere non potest: ordinarius verò de eius nullitate pronunciare valet. *l. si ut proponis 4. C. quomodo & quando, l. si Praes, cod. tit. leg. 1. C. de sentent. & interl. leg. 4. C. de accusat.* Bellonus *lib. 1. supputat. cap. 18. num. 1.* Tiraquel. *in leg. boves, §. hoc sermone, limitat. 1. num. 4. de V. S.* ergo iudices delegati in praesenti non poterant de nullitate sententiae cognoscere, aut eam retractare. Cui difficultati respondendum est dicendo in hoc textu, iudices non protulisse sententiam definitivam, ut patet ex verbis sequentibus, *in negotio procedatis*; sed tantum per inquisitionis formam contra Episcopum Novariensem processisse: unde jubet Innocent. ut si ipsi inquisitionis formam per sacros canones praescriptam non observarunt, errorem iudicii corrigant, non autem sententiam, quam adhuc non protulerant, ut docuit Doctor Gabriel Henriquez *in leg. 4. D. Pio, num. 12. de re iudic.* An iudex teneatur retractare sententiam, cuius errorem postea agnovit, late & doctè disputat Theophilus Raynaud. *tom. 14. tract. 1. per totum.* Ut autem exponamus quando iudex possit mutare sententiam prolatam, notanda est differentia, qua versatur inter sententiam interlocutoriam, & definitivam; nam primam potest iudex ipse mutare, *l. quod iussit. ff. de re iudic. etiam pluribus.* Gratianus *disputat. 147. numer. 20.* Saccia *de appellation. questio. 19. rem. conclus. 6.* Secundam verò mutare non valet, postquam illam protulit; quia sive benè, sive malè iudicavit, functus est officio suo, *l. iudex 55. ff. de re iudic.* potest tamè eam declarare, dum nihil detrahat ex his quae decrevit, *l. Paulus 42. ff. de re iudic. ubi Cujac. lib. 6. respons. Pauli, Donellus lib. 29. comment. cap. 3.* veluti si iudex condemnavit reum ut servum Stichum restitueret, cum plures huius nominis haberet, nec de quo senserit, liquidò possit ex actis constare, tunc enim declaratio nihil de novo decernit, sed jam decretum manifestat, argumento *ex l. heredes 21. §. 1. ff. qui testam. facere poss. juncta lege ad eò 7. vers. videntur, ff. de acquir. rer. dom.* notarunt Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 8. num. 263.* Valenzuela *consil. 120. ex num. 16.* non autem est propria declaratio sententiae, quando iudex, ut quotidie contingit, in se reservat taxationem expensarum, vel liquidationem fructuum, in quibus reum condemnavit; tunc enim definitivè super eis pronuntiare potest, ut supponitur *in l. final. §. Lucius 4. ff. de condic. indub. & docuerunt Baldus, & Salicetus in l. 3. C. de fructibus & litium expensis, Solorzanus tom. 2. de iur. Indiar. lib. 2. capit. 29. num. 41.* quod faciliùs

procedit, quando fructus debentur aequè principaliter ac res petita, quia tunc de eis fieri potest nova sententia: textus disertus *in l. marito 31. §. ultim. ff. solut. matrim.* quem explicat Noguero. *alleg. 17. ex num. 33.*

Deinde notandum est, sententiam definitivè prolatam tunc dici, quando prolata est, & nos dicimus, *despues de pronunciada ante escrivano*: nam antea nondum est sententia, & ita suppleri, emendari, immò & corrigi valet, *l. 41. tit. 5. lib. 2. recopil.* quitextus licèt loquatur in auditoribus Cancellariarum, viget in omnibus iudicibus, si supremum Concilium excipias, quod ex gratia potest emendare iudicatum, si viderit expedire. Textus expressus *in l. 3. tit. 21. part. 3.* prosequuntur Bobadilla *dict. lib. 3. cap. 8. ex num. 263. usque ad num. 269.* Mieres *de mayorat. 1. part. quest. 44. numer. 3.* in qua tota questione ubertim agit de his, qui potestatem habent declarandi suam sententiam, Gamma *decis. 110.* ubi *num. 38* agit de potestate Principis; cui non solum interpretari, verum & mutare suam sententiam licet. Gratianus *regul. 421.* qui loquitur quando in continenti iudex vult suam sententiam reformare sine ullo intervallo, & sine petitione partis: docetque posse, quia quae statim fiunt, in ipso actu gesta videntur. Pichardus *in manu dicit. 2. part. §. 3. ex num. 11.* ac remissivè Catleu *tom. 1. de iudic. disput. 16.*

**k** Occultis criminibus. ] Quia quando per inquisitionem generalem proceditur, non possunt testes interrogari de occultis, sed de notoriis criminibus: testesque, si de occultis interrogentur, possunt utri restrictione mentali, respondendo se nescire, eo sensu intra se retento, scilicet ut aliis detegant, ut in hoc textu docetur, juncto capite *erubescant, 32. dist.* docuerunt Sorus *de ratione regend. secret. memb. 3.* D. Joannes Vela *de modo procedendi, cap. 3. num. 4.* Nec obstat, quod iuramentum accipi debet secundum mentem, & intentionem ejus, cui juratur; non ejus, qui jurat, *cap. in quacumque 22. quest. 5.* quia hoc intelligendum est quando quis justè, & servato ordine juris interrogatur; tunc enim palam, & sine æquivo-catione, aut restrictione respondere tenetur; secus autem si injustè & tyrannicè interrogaret iudex, non servato juris ordine, quia sufficeret responsum verum esse ex verbis æquivocis ad sensum interrogati, quamvis ad sensum interrogantis falsum esset, ut ex Navarro & Soto probant D. Joannes Vela *ubi supra, D. Joseph. de Retes lib. 7. opuscul. c. 3. num. 19.*

Textus hic spectat ad secundam partem hujus rubricæ, & secundum modum procedendi in causis criminalibus, videlicet per inquisitionem, de quo agemus *in cap. inquisitionis, infra hoc titulum.*

## CAPUT XVIII.

<sup>a</sup> Idem Arelatenſi Archiepiſcopo, Valliſ <sup>b</sup> Magnæ Abbati.

Cum dil. Fil. Ciftercien. Abbas, & P. & R. fontis Frigidi, Sed. Apoſt. e L. ad a Agathen. Eccleſiam acceſſiſſent, ut in ea legationis officium exercerent, quia de ven. F. n. Agathen. Epifcopo per frequentem clamorem multa ſibi fuerant inſinuata ſiniſtra, voluerunt deſcendere, ac videre, ſi clamorem opere compleviſſet. Ideoque tam Epifcopum, quam Canonicos juramenti vinculo aſtrinxerunt, ut ſuper ſtatu Eccleſiæ ſibi dicerent veritatem. *Et infra*: Quia verò non conſtitit ſub qua forma coram prædictis Legatis præſtitit <sup>e</sup> juramentum, utrum videlicet ita juraverit ut ſuper ſtatu Eccleſiæ plenam, & meram diceret veritatem; an ita, ut ad inquiſita veraciter reſponderet: diſc. v. per A. f. m. quat. eiſdem Legatis ex parte noſtra, in virtute obedienciæ diſtrictè mandetis, ut ſub qua forma juramentum præſtiterit, ſtudeant fideliter intimare: & ſi ſecundum reſponſionem eorum ſub ſecunda forma juraverit, aut ipſe coram nobis ſufficienter probaverit, ſe ſub illa forma juraſſe, per deſiſtiones teſtium, quos produxerit apud Sedem Apoſtolicam conſtitutus, quas vobis ſub bulla noſtra mittimus intercluſas, aut etiam aliorum, cum nondum deſiſtiones illæ fuerint publicatæ, nec ipſe productioni teſtium renunciare curaverit: quoniam ſecundum eam non tenetur ex debito juramenti, niſi ad inquiſita ſolummodo reſpondere, vos excuſationes illas, quas vobis ſub bulla noſtra mittimus intercluſas, diligenter audite cureris, & ſi eas probaverit diligenter, cum excuſationes hujusmodi confeſſiones illas non exprimant, quæ tales ſunt, ut ad bonum, & malum valeant retorqueri, & ideò judicari debent ex cauſa eum ſub. apob. penitus abſolvatis: cum etſi repertus fuerit culpabilis in quibusdam, ex labore tamen, & pudore punitus, quos propter hanc cauſam incurrit, hujusmodi levis culpa leniter ei valeat indulgeri. Quod ſi excuſationes illas ſuper dilapidatione, naufragio, & ſimonia probare nequiverit, aut ſi ſub prima forma juravit; cum ſecundum eandem veritatem ꝑ tacere, nec admicere debuerit falſitatem, vos non obſtantibus excuſationibus illis, quas denuò propoſuit coram nobis, cum in confeſſionibus ſuis nullam omninò de illis fecerit mentionem, quamvis firmiter aſſeruerit, quod exceptiones plures ex illis prædictis Legatis expoſuit, quas ipſi ſcribere non curaverunt, cum hoc per ſe probare non poſſet, tanquam qui ſolus examinabatur ab illis, cum ſublato cujuſque contradiccionis & appellacionis obſtaculo ab adminiſtratione Agathenſis Eccleſiæ removeatis.

## NOTÆ.

- <sup>a</sup> **A** *Arelatenſi.* ] ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc titul. cap. 5.* Michaeli videlicet Archiepiſcopo Arelatenſi: de qua Metropoli nonnulla adduxi *in cap. 16. de offic. de leg.*
1. <sup>b</sup> **Vallis magna.** ] Valliſ magna Ciftercienſis Ordinis duplex eſt: altera Bituricenſis diœceſis, alia in diœceſi Agathenſi, de qua in libris Camerae ita legitur: *Sexta filia Bonavalliſ Viennenſis, Valliſ bona in lingua Occitana, diœceſis Agathenſis.* Refert Manrique *rom. 2. annal. Ciftercienſ. anno 1150. cap. final. n. 9.*
2. <sup>c</sup> **Apoſt. Sed. Legati.** ] Videlicet S. Arnaldus, 17. Abbas Ciftercienſis, & B. Petrus, & Radulſus, monachi monaſterii Fontisfrigidi, Legati miſſi contra Albigenſes ab Innocentio III. & ut Albienſium provinciam viſitarent: & poſtea

Sanctus Arnaldus creatus fuit Archiepiſcopus Narbonenſis, ut refert Manrique *rom. 1. in ſerie Abbatum Cifterc. num. 17.* De Ciftercienſi Ordine, & Fontis Frigidi monaſterio egi *in cap. cum ordinem 6. de reſcrip. cap. ad petitionem, de elect. cap. litteras, de ſupplenda.*

<sup>d</sup> **Agathenſem.** ] Provincia Narbonenſis, de qua egi *in cap. 6. de hiſ que vi.*

<sup>e</sup> **Præſtitum juramentum.** ] Epifcopus videlicet Agathenſis.

<sup>f</sup> **Tacere.** ] Dubium eſt inter Doctores, an quotieſcumque reus interrogatur à giudice juridi-cè de proprio delicto, teneatur ipſe proprium crimen fateri? Et expoſiſis variis ſententiis teneri ipſum, etſi pœna capitali plectendus veniat, veritatem dicere, probant innumeri, quos referunt & ſequuntur Sanchez *lib. 6. ſumma, capit. 3. dub. 29. per totum.* Hutierrez *lib. 1. de delictis, cap. 9. cum ſequent.*

## CAPUT XIX.

Idem Archiepiscopo <sup>a</sup> Tarraconensi, & Abbati Sancte Mariae de <sup>b</sup> Populeto,  
& Archidiacono <sup>c</sup> Barchinonensi.

CUM oporteat Episcopum. *Et infra* : Sanè venientibus ad Apost. Sed. fil. G. Grof-  
fi. & G. de <sup>d</sup> Monte Regali, multa gravia, & enormia contra Venerab. F. N.  
Vicen. Episcopum proponentibus coram Nobis, quia illa non debebamus sub diffi-  
mulatione transire, Vobis, Frater Episcopo, ac Fili Archid. inquisitionem eorum du-  
ximus committendam, illius imitantes vestigia, qui cum haberet villicum, & ille diffi-  
matus fuisset apud eundem, quia dissipasset bona ipsius, cum eo posuit rationem. Ve-  
rùm dictus Episcopus antequam ad ipsum nostram citatio pervenisset, ad praesentiam nos-  
tram accedens, proposuit coram nobis, quod illi, qui enormia illa de ipso nobis sugges-  
serant, typho malitiae potius, quam iustitiae zelo ducti nobis huiusmodi nuntiaverint,  
cum ipsi ejus sint manifestissimi inimici, & cum ejus hostibus converferentur, consan-  
guineosque suos, ac complices intendant ad e testificandum producere contra ipsum,  
qui ad denunciandum, seu ad testificandum admitti non debent aliquâ ratione, utpotè  
juramenti praestiti transgressores, & aliis criminibus irretiti. Ne verò per leve com-  
pendium ad grave dispendium veniatur, disc. v. per A. f. m. quat. nisi super iis, quae no-  
bis sunt proposita contra ipsum, & famam ipsius laesam esse noveritis, vos ad inquisiti-  
onem illorum non subito procedatis. Quod si fuerit ad inquisitionem procedendum,  
praedictos, vel alios quos ipsius esse constiterit inimicos, nec ad prosequendam inqui-  
sitionem, nec ad perhibendum testimonium contra ipsum Episcopum admittatis, sed  
per Viros idoneos super iis, quae suggesta sunt, inquiratis sollicitè veritatem : & si  
nihil grave probatum fuerit contra ipsum, vos ei purgationem canonicam indicatis.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **T**arraconensi. ] Ita etiam legitur in tertia  
collectione, sub hoc titulo, cap. 6. de Tar-  
raconensi Metropoli egi in cap. primo, de his  
quæ vi.

<sup>i</sup>  
Popule-  
tum ubi.

<sup>b</sup> **Populeto.** ] Populeto Monasterium est pe-  
celebre Ordinis Cisterciensis, Tarraconensis Diœ-  
cesis in Catalonia, ad radices montis Pradensis.  
Nomen loci ab arborum frequentia sunt qui de-  
ducant : alii à crescentis domus magnitudine,  
quasi oppidulum dictum, quod vernaculâ linguâ  
Catalauni *Pobles* vocant. Sed rectius qui à sancto  
Eremita ejusdem nominis derivant, qui lo-  
cum illum ab aliquot annis inhabitabat, ut refe-  
runt latius prosequentes ipsius Monasterii origi-  
nem, & magnitudinem *Yepes in chron. D. Benedic-  
ti, Anno 1153. Manrique tom. 2. annal. Cisterc.  
eod. Anno, fol. 250. Petro IV. hujus nominis Ab-  
bati ipsius Monasterii missa est praefens decreta-  
lis, ut notavit idem Manrique dict. tom. 2. in se-  
rie Abbatum Populeto.*

<sup>c</sup> **Barchinonensi.** ] Barchino, seu Bar. hino-  
na Civitas est in agro Laetano sita, multis hinc  
indè oppidis conspicua, ideoque amœna à Rufo  
Festo appellatur.

*Et Barchinonum amœnas sedes  
Nam pandit illic iuta portus brachia,  
Vivique semper dulcibus tellus aquis.*

Circa cujus originem variae sunt Historicorum  
opiniones : primam refert Rodericus Tollet *lib. 1.  
hisor. Generalis, cap. 5.* his verbis : *Verùm Her-  
cules ex radice montis Cacci, ex his, qui secum,  
& suis pedisequis (ceteris ad Galiciam applicatis)  
nona ad litus applicuit Celtiberia, ubi Civitatem ad-  
ficavit, & ex nona barca Barchinonam appellavit.*

Consentiunt Gerundens in *Paralip. Hispania, lib.  
2. tit. de Urbibus ab Hercule conditis* : Florian. de  
Ocampo *lib. 1. cap. 17. & lib. 4. cap. 12. Valer. p. 2.  
hisor. cap. 2. Miedes histor. Jacobi, lib. 18. cap. 1.  
Hieronymus Paulus in sua Barchin. in princip.  
Pujad. histor. Catal. lib. 1. cap. 23. Diagul. hist. co-  
mitum Barchin. lib. 1. c. 2.* Alii afferunt, quod A-  
milcar Dux Carthag. cognomento Barchino Urbem  
illam condidit, & à suo nomine Barchinonem ap-  
pellavit : ita *Tarrassa de rebus Hispan. Anno ante  
adventum Christi 234. Nonius in Hispan. cap. 88.  
Sed has, & alias sententias, quas refert Tamayo  
rom. 1. Martyrol. die 6. & 29. Januarii, 12. Februa-  
rii, & 6. Martii, refellit Coronel. in notis ad  
Gongoram tom. 3. fol. 423. & verè de hujus Urbis  
initis nihil hætenus certiliquet, nisi eam Cartha-  
ginensibus debere primordia sua, ut testatur Au-  
fonius ad Paulinum his versibus.*

*Quid queror, Eisque inspector crimina monstri  
Occidui me ripa Tagi, me Punica ledit  
Barchino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.*

Eandem Coloniam fuisse Romanorum, testis est  
Plinius *lib. 3. ibi* : *In ora autem Colonia est Barchino  
cognominata.* Et probat Anton. August. *dialog. 7.*  
Jam à primis Ecclesiae sæculis habuit Ecclesiam  
Cathedralem Tarraconensis suffraganeam, ut re-  
fert Bosquetus in *notis ad Innocentium III. lib. 1. E-  
pist. 77.* ejus Archidiacono rescribit Innocentius in  
praesenti.

<sup>d</sup> **De monte Regali.** ] *Canonicis Vicent.* legi-  
tur in hac sexta collectione, & rectius, cum Ec-  
clesia Cathedralis Vicenensis sit etiam suffraga-  
nea Archiepiscopi Tarracon. ut refert Bosquetus  
*ubi supra* : Ecclesia autem montis Regalis sit in  
Sicilia,

Sicilia, de qua plura D. Rochus Piro tom. 1. Sicilia sacra.  
c Testificandum.] Juxta tradita in c. 17. de testibus.

[Famam.] Quæ necessaria est inquisitionem, ut dicemus infra in c. inquisitionis, ubi commentarium hujus textus dabimus.

## C A P U T XX.

Idem

CUM dilecti Filii. Et infra: Inquiratis super præmissis diligentius veritatem, & si vobis constiterit, prædictos, quorum nomine sunt hujusmodi de prædicto Episcopo nunciata, publicè concubinarios tunc fuisse, propter quod in eos fuerit excommunicationis sententia<sup>b</sup> promulgata, vel præfatum Episcopum de jam dictis excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, vel ipsos conspirasse in eum, eos à denunciatione ipsa repellatis: alioquin auditis diligenter, quæ fuerint, &c. eidem Episcopo auctoritate nostra nihilominus prohibentes, ne super iis, pro quibus ad audientiam nostram fuerit legitime appellatum, præfatos Clericos indebitè gravare præsumat, donec causa prædicta juxta formam mandati nostri fuerit terminata.

## N O T Æ.

1. a [Dem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc titulo, cap. 1. nullibi tamen exprimitur, cui Præfato rescribat Pontifex, nec de quo Episcopo in præfenti agatur.

2. b [Promulgata] Et ita erant criminosi, & inimici, qui omninò prohibentur accusare, ut probavi supra in cap. meminimus. Consonat idem Innocentius lib. 3. registr. 15. epist. 201. in hæc verba: Dilectus Filius I. Decanus Christianitatis Divisionensis in nostra proposuit presentia constituimus, quod cum olim L. I. & H. Canonici Capelle Ducis Divisionensis. Lingonien. Diocesis. non ad correctionem, sed potius ad infamationem ipsius, nobis quedam denunciavit contra ipsum, Vener. F. N. Matiscouensis Episcopo, & suis consuevit dederimus in mandatis, ut vocatis qui essent propter hoc evocandi, quod invenirent super objectis, per suas nobis litteras intimarent: partibus in ipsorum presentia constitutis, & eodem inficiente Decano, quod denunciationem ipsam monito charitativa præcesserit, & fir-

miter asserente prædictos Canonicos facta denunciationis tempore inimicos ejus, & amulos extitisse: tandem fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, cuius appellationi memorati iudices detulerunt. Idem verò Decanus quorundam Religiosorum literarum præfatis, qui de vita & conversatione ipsius laudabile testimonium perhibebant, nobis humiliter supplicavit, ut occurrere adversariorum suorum malitia, ac laboribus ejus finem imponere dignaremur. Nolentes autem ipsum indebitè fatigari, discretionem vestram per Apostolica scripta mandamus, quatenus si denunciatores præfati monitionem charitativam præmissis super objectis probare nequiverint, aut Decanus ipse docuerit illos suos extitisse denunciationis tempore inimicos, eundem ab illorum denunciatione, sublato appellationis obstaculo absolutis: alioquin in eodem negotio juxta priorem continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Tu denique Fili Abbas super teipso, &c. Datum Laterani idibus Januarii Pontific. Nostri Anno XV.

## C A P U T XXI.

Episcopo<sup>a</sup> Genuesi, &<sup>b</sup> Viennensi Sacristæ.

INquisitionis negotium, quam de Venerabili Fratrem nostro Episcopo, & Canonicis c Valentini vobis commisimus faciendam, sine conscientia scrupulo exequi cupientes, Apostolico petiistis oraculo edoceri, utrum eorum publicanda sint dicta, &<sup>d</sup> nomina, quos interrogari contingit, prout de testibus in publicis causis fieri consuevit: an sola dicta eorundem publicari sufficiat, cum idem Episcopus & Canonici manifestè sciant, qui fuerint inquisiti: & utrum contra dicta eadem debeant exceptiones, seu replicationes admitti, cum contra personas dicentium admittantur. Ad quod breviter respondemus, non solum dicta, sed etiam ipsa nomina, ut quid à quo sit dictum, appareat, publicanda: & exceptiones, seu replicationes legitimas admittendas: ne per suppressionem nominum, infamandi; per exceptionum verò exclusionem, deponendi falsum audacia præbeat. Secundò quæsitis, quid vobis sit statuendum, si contra quempiam per inquisitionem probatum fuerit tale crimen, quod deponeret accusatum criminaliter, & convictum. In quo quidem duximus distinguendum, utrum videlicet tale crimen contingat adversus aliquem inveniri, quod ordinis executionem suscepti, aut retentionem beneficii etiam post peractam penitentiam impediret, puta si homicidium commisisset, vel

vel adeptus esset ordinem, aut beneficium vitio simoniæ: quo casu erit sicut in accusationis iudicio procedendum. Alioquin secundum personæ merita, & qualitatem excessus pœnam poterit iudicantis discretio moderari. Tertiæ dubitationis articulus continebat, utrum cum duo, vel tres jurati affirmant alium crimen aliquod eisdem videntibus commisisse, de quo tamen aliquâ infamiâ non laborat, aliquam illi pœnam infligere debeatis: & utrum ad petitionem quorundam e quâsdam schedulas vobis occultè tradentium infamationem Episcopi continentes, sit ad inquisitionem eorum, quæ in ipsis continentur schedulis procedendum: & an fides eorum dictis debeat adhiberi, qui post juramentum interrogati secretò, utrum sint eorum, de quibus inquiritur, inimici; respondent, quod non diligunt illos, vel directè inimicos se asserunt eorundem, aut etiam ante juramentum id publicè confitentur, nullas tamen inimicitiarum causas probabiles ostendentes. Ad hæc autem pariter respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliquâ non laborat infamiâ, sed clamorosa insinuatio sola præcessit, propter dicta hujusmodi puniendum: quin imò super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt: nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum esse ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam, aut etiam adversus eos, contra quos fit inquisitio, fidem dictis adhibendam illorum, qui post juramentum, vel antè, tacite, vel expressè inimicos se asserunt eorundem, nisi forsitan antè juramentum in fraudem id facere præsumantur. Quæ sitis præterea, quid statui debeat, si nihil per certam scientiam, sed tantum per famam, & eorum qui fuerint inquisiti, credulitatem juratam contigerit inveniri: utrumnè aliquis super eo crimine reputari debeat infamatus, de quo ipsum duo, vel tres, aut plures dixerint infamatum, licet de ipso nihil finistrum in publico audiatur. Ad quod est nostra responsio, quod propter famam & deponentium credulitatem dumtaxat, non erit ad depositionis sententiam procedendum, sed infamato canonica poterit indici purgatio secundum arbitrium iudicantis, qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet, cujus apud bonos, & graves læsa opinio non existit. Tu denique, Frater Episcopi super te ipso, & credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia, & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo Iudice, qui reddet unicuique juxta opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Lateran. XIII. Kal. Janu. Pontif. N. Anno quinto-decimo.

## NOTÆ.

- <sup>1</sup> <sup>a</sup> *Genuen.* ] Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc titulo cap. 2. & in epistolis Innocenti editis à Bolquetto lib. 3. registr. 15. epist. 189. Sed legendum est *Genuenens*: Genue enim est Urbs Gallia, in Metropoli Viennensi: inter oppida Allobrogum recensetur à Papirio Masonio in descriptione Gallia, fol. 357. De ea plura Fratres Sarmat. lib. 2. *Gallia Christ.* fol. 595. jam olim habuit Ecclesiam Cathedralē; sed cum occupata esset ea Urbs ab hæreticis, Sedes Episcopalis Annessium Sabaudia oppidum translata fuit. Alia dedimus de Ecclesia ipsa in c. 10. de voto.
- <sup>2</sup> <sup>b</sup> *Viennens.* ] Vienna olim ita dicta, quia à Vienio constructa fuit: celebris Metropolis est Allobrogum, Romanorum colonia, teste Paulo in leg. final. ff. de censibus: ad Rhodanum posita est, & ejus meminerunt Cæsar lib. 7. cap. 2. Plinius lib. 3. capite 4. Ptolomeus lib. 2. capite 10. quos & alios referunt Fratres Sarmath. tom. 1. *Gallia Christ.* fol. 789. ejus Archiepiscopus Primatis nomen aliquando sibi vindicavit, ut refert Chenu in serie *Præsul. ipsius Ecclesie.*
- <sup>3</sup> <sup>c</sup> *Valentia.* ] Valentia Romanorum Colonia, prænomine Julia, teste Ptolomeo lib. 2.

cap. 8. Civitas est Segalaunorum in Gallia, cuius mentio extat in leg. 22. Cod. Theodos. de annon. & tribut. leg. 113. eod. C. de Decur. sita est supra Rhodanum: habet Ecclesiam Cathedralē dicatam D. Apollinari, de qua agit Chenu in serie *Præsul. ipsius Ecclesie.*

<sup>4</sup> <sup>d</sup> *Et nomina.* ] In causis fidei reo edi nequeunt nomina, vel cognomina testium, unde ipse possit venire in cognitionem eorum, cap. final. §. jubemus, de hæretic. in 6. ubi ratio assignatur, non solum quia periculum testibus imminet; verum etiam ut facilius in negotiis fidei ipsi deponant: quam praxim in Tribunalibus sancti officii receptam defendunt & probant Farinac. de hæres. quest. 188. §. 1. numero 7. Penna ad Eymericum in Direct. comment. 124. Soula in aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 6. num. 74. Castropalao in opere moral. p. 1. tract. 4. dispnt. 8. puuct. 15. §. 3. num. septimo, Carena de offic. Inquisit. p. 3. titul. 7. §. 9. Unde cum non adsit eadem ratio in aliis delictis, & causis criminalibus, nomina testium eduntur, ut latè probant Gu-tierrez de delictis libro primo quest. octava, Parexa de instrument. edition. titul. 7. resolut. 6. licet contrarium teneat Cuiac lib. vigesimo secundo ob-serv. cap. 25.

<sup>e</sup> *Quasdam schedulas.* ] Sine auctore, & ratione, juxta illud Imperatoris Trajani apud Plinium lib. 1.

lib. 1. Epist. 102. ibi : *Sine auctore verò propositi libelli nulla crimina locum habere debent ; nam & pessimi exempli , nec nostri seculi est .* Et per huiusmodi schedulas , quæ dantur in occulto , non debere Judices ad inquisitionem procedere , docuerunt in præfenti Joannes Andreas num. 6. Butrius num. 22. Abbas notabil. 2. num. 4. Ananias numer. 62. quos sequuntur Ceuallos lib. 3. practic. quest. 821. num. 20. Solorzanus de iure Indiar. lib. 4. cap. 8. numer. 37. & lib. 4. polit. cap. 10. Salcedo ad leg. 62. titul. 4. lib. 2. recopil. num. 2. & 17. quod & in causis nobilitatis , & puritatis procedere probant Valenzuela consil. 110. num. 5. Escobar de purit. 2. p. quest. 2. per totam. Sed cum contrarij praxi receptum videamus in Collegiis , Regio Consilio Ordinum , & Tribunalibus Inquisitionis , aliisque communitatibus , quæ sanguinis puritatem exigunt , distinguendum credo inter schedulam datam sine auctore , ubi tantum infectio alicujus exprimitur , simpliciter referendo descendere ex sanguine infecto ; vel cum in ipsa schedula ratio , & fundamentum ipsius infectionis exprimitur : primo casu existimo virtute talis schedulæ non posse ad exactiorem inquisitionem procedi , ex præfenti textu. Secundò verò , cum ratio , seu fundamentum assignatur , posse exactiorem inquisitionem fieri ad cognoscendum , an verum sit fundamentum infectionis in schedula expressum. Idem credo observandum esse à Judicibus , Inquisitoribus , seu Visitationibus , ut videlicet vi simplicis schedulæ , ubi absque auctore narratur aliquod visitati delictum , non possit iudex ad inquisitionem illius delicti procedere , & ex hoc textu , & traditis in capite primo de consanguin. Sed cum fundamenta , & rationes præbentur , ac argumenta quibus probetur delatio illa , posse iudicem de illo crimine inquirere ad eruendam veritatem , quia si vera sunt fundamenta relata in ipsa schedula , jam visitatus laborat infamiâ , quæ iustam reddit ipsam inquisitionem.

f Inimicos. ] Quia inimici ab accusatione , & denunciatione arcentur , juxta tradita suprâ in c. meminimus.

## COMMENTARIUM.

6. **EX** hoc textu sequens communiter deducitur assertio : *Crimen probatum per inquisitionem regulariter pœnâ ordinariâ punitur ; sed si impeditur ordinis executionem , fit depositio , sicut per accusationem .* Probant eam textus in cap. dilectus 30. cap. licet Heli , de Simonia , cap. 1. hoc titul. in 6. Illustrant Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 58. & de censuris disput. 40. sect. 2. Berouius in c. qualiter , num. 53. suprâ hoc titul. Anguianus de legibus lib. 2. controvers. 6. Arellanus lib. 5. singul. antinom. 1. Barb. in select. ad textum in cap. 2. de confessis , num. 4. Altesserrabio

7. **Sed** pro dubitandiratione in præfentem assertionem ita insurgo : Pœnas pro delictis impositas , & incurfas iudex augere , minuerè non valet , cap. de causis 4. §. de illis , qui de offic. delegat. ubi illustravi , & latè probat Anguianus lib. 2. de legibus , cap. 5. Igitur siue crimen probatum sit in iudicio formato per viam accusationis , aut per viam inquisitionis , pœnâ à jure statutæ minuendæ , mutandæve non sunt. Augetur hæc difficultas primò ex nonnullis juris testi-

monii , in quibus cum extraordinariè , & per inquisitionem pro ederetur , pœna ordinaria infligitur leg. 2. Cod. de abolit. ibi : *Inquisitione facta competens pœnâ ingeratur : & leg. 2. §. si publico , ff. ad leg. iul. de adult. ubi extra ordinem , & sine accusatore fuit in causâ processum ; & tamen ordinaria lenocinii pœna imposita fuit .* Idem probatur ex leg. 4. Cod. de sepulchro violato , ibi : *Vel ad officium nunciaverit ; & leg. ordo 8. ff. de public. judic. ubi etiam maximè extrâ ordinem crimina probentur , semper imponitur pœnâ ordinaria : igitur quia nihil interest , an per inquisitionem , an per accusationem crimina in iudicio claruerint .* Augetur se unò hæc dubitandi ratio ex præfenti textu in vers. In quo , ubi Innocentius tertius homicidas , & simoniacos æqualiter pœnâ ordinariâ puniendos esse docet , siue per inquisitionem , siue per accusationem procedatur : ergo quia nullum versatur discrimen inter iudicium formatum per accusationem , aut per inquisitionem .

Qua dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante , verâ est præfens assertio : pro cuius expositione sciendum est , inquisitionem dictam esse à verbo *inquirere* , id est intus quæro , seu valde quæro , quasi particula *in* , augeat , ut in leg. Gallus , §. in illo , ibi : *In difficilis* , ff. de liberis & posthum. cap. 1. ibi : *Inseruiens* , juxta communem intellectum , de fidejussor. Et generaliter significat quæcumque , vel cuiuscumque rei indagationem , vel investigationem , cap. inquisitionem 26. de elect. cap. ultim. §. 1. de officio delegat. Clement. 1. ibi : *Per inquisitionem* , cod. tit. In præfenti tamen prout ad criminalia refertur inquisitio , denotat modum , quo de criminibus agitur , ab accusatione distinctum , vulgò *perquisitio* ; in quo sensu variè definitur per Bartolum in leg. transigere , num. 15. Cod. de transact. Felin. in præfenti rubric. num. 3. Præpositum n. 39. Didacum Perez in leg. 24. tit. 11. lib. 4. ordin. Gigantem de crimine lese Majest. p. 1. quest. 8. Sotum de regend. secreto , membr. 2. quest. 6. Christoph. à Paz in leg. 50. stili. Gutierrez de delictis quest. 1. num. 1. à quibus ea definitio adducitur , ut inquisitio sit *criminis* , vel *criminosi per iudicem legitime facta indagatio* . Quæ definitio colligitur ex leg. congruit , ff. de offic. Præs. leg. 4. vers. In mandatis , ff. ad leg. iul. pecul. cap. qualiter 12. cap. cum oporteat , hoc titul. c. 1. c. Deus 20. quest. 1. illis verbis : *Criminis* , vel *criminosi* , quibus includuntur omnes inquisitiones , tam generales , quàm speciales , quoad delicta & personas simul , vel quoad alterum illorum : & per eadem verba excluduntur inquisitiones aliæ , quæ non respiciunt crimina , & illorum punitionem , sed res diversas ut in leg. si vacantia , Cod. de bonis vacant. lib. 10. cap. per inquisitionem , de elect. Sic etiam per illa verba , facta indagatio , agnoscitur differentia inter inquisitionem , & accusationem , quæ est delatio criminis , ut probavi in capite primo hoc titul. inquisitio autem est investigatio : & sicut delatio differt ab investigatione , quâ crimen , vel persona non defertur , sed inquiritur ; ita accusatio differt ab inquisitione . Deinde accusatio , seu delatio , quamvis fiat in iudicio , non tamen fit per iudicem , quippe qui non defert , nec ei competit jus deferendi , sed accusatori . Contrâ verò investigatio , quæ in inquisitione continetur ,

contineatur, per Judicem fit, ita ut ei competat investigatio, seu Jus inquirendi, *dist. leg. congruit, ibi: Eos conquirat; & cap. cum dilectus 8. in prin. cap. qualiter 24. ibi: Prælati procedere ad inquirendum, hoc titul.* Alias differentias prosequitur Beronius in dicto cap. qualiter, numero 5.

De iustitia inquisitionis.

Sed antequam divisiones inquisitionis referamus, examinanda est iustitia inquisitionis, & probandus usus procedendi per inquisitionem; nam videtur injustus hic procedendi modus, cum in hoc iudicio nullus actor appareat, & ita formale iudicium dici non possit, juxta D. Isidorum relatum in cap. forus, de V. S. ibi: *In omni quoque negotio hæc persona quarantur, iudex, reus, & tres testes.* Et sine accusatore neminem esse damnandum, vulgò probatur ex l. rescripto 6. §. si quis a casatore, ff. de muner. & honor. leg. ultim. Cod. de accusat. cap. de manifestat. vers. iudicis 2. quest. 1. cap. 1. vers. Præterea, in Eccles. benefic. quod & divino iure satis expressum legitur in Evangelio Joannis cap. 8. vers. 10. in illis verbis: *Mulier, ubi sunt, qui te accusabant: si nemo te accusat, nec ego te condemnabo.* Et Actum Apostol. cap. 25. ubi Festus Provinciæ Præfès ad Agrippam Regem, cum adversus Apostolum Paulum tota se effudisset Judæorum rabies, ait: *Ad quos respondi, quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem prius quam is, qui accusatur, præsentem habeat accusatores, loquendo defendendi accipiat ad abluendum crimina.* Facit D. Ambrosius relatus in d. cap. de manifesta, ibi: *Quia & Dominus Iudam, quem furem esse sciebat, sed cum non esset accusatus, minime abiecit.* Et idem non esse inquirendum in fa-inorosos, quia medicus nisi accersitus morbos non inquirat, docet Canonerius in aphorism. polit. tom. 1. pag. 379. Sed adhuc dicendum est, omni juri consonum esse modum procedendi per inquisitionem; quia cum adest diffamatio, clamor ipse vicem accusatoris gerit. Undè legimus in sacris literis, ob clamorem hunc inquisita crimina, veluti fratricidii. *Genes. cap. 4. ibi: Vox sanguinis clamat ad me de terra, quid fecisti: Sodomorum, Genes. cap. 19. ibi: Clamor Sodomorum.* Oppressionis, *Exodi cap. 2. Ascenditque clamor.* Et cap. 3. ibi: *Clamorem audivi fraudata mercedis.* Jure etiam civili inquisita legitur delicta lenocinii in leg. 2. §. si publico, ff. ad leg. Jul. de adult. Suspecti instrumenti in leg. jubemus, Cod. de probat. suspecti tutoris in leg. 3. §. præterea, ff. de suspect. tutor. frauduloh, aut falsi testis in leg. nullum, Cod. de testib. calumnia in leg. 1. Cod. de calum. & generaliter Præfibus delicta inquirere jubetur in leg. congruit, ff. de offic. Præs. leg. 4. §. mandati, ff. ad leg. Jul. pecul. leg. 1. §. quies, ff. de offic. Præs. lib. leg. 3. §. ultim. ff. ad leg. Jul. de annon. Ordo autem inquisitionis apud Romanos talis erat. Irenarchæ, curiosi, seu stationarii, latrones, sacrilegos, & alios criminum reos in Provinciis conquirebant, de sociisque & receptoribus interrogabant, interrogationisque litteris inclusas & obsignatas, ad cognitionem Magistratus mittebant, reique missi cum eloquio ex integro audiebantur, non tantum si quis accusator esset, verum et si accusator non appareret, leg. ea quidem 7. Cod. de accusat. leg. Divus 6. ff. de custod. reor. leg. 1. Cod. eodem, leg. 1. Cod. de curiosis, & stat. leg. 6. §. num.

ciatores, ff. ad Turpil. de quibus Irenarchis agitur in leg. 6. §. Irenarchæ, leg. munerum, ff. de muneribus, leg. 1. & per totum Cod. de Irenarch. Novel. 8. Justin. Divus Augustinus epist. 159. Irenarcharum, ad quos tuenda publica pacis vigilia pertinet. Et epist. 160. Plura de eis Aloix ad vitam S. Polycarpi, Simanchas de repub. lib. 8. cap. 25. P. Gregor. lib. 31. syntagm. cap. 4. num. 1. Lipsius epist. 99. cap. 18. Gutherus de offic. domus lib. 3. cap. 13. Cuiac lib. 8. observ. cap. 29. Fornerius lib. 1. rer. quotid. cap. 4. Ramirez de Prado in thessera legum, ad leg. super creandis, Solorzanos tom. 2. de jure Ind. lib. 1. cap. 26. num. 7. Gibalin. tom. 2. de negot. lib. 6. cap. 3. artic. 4. num. 7. notavi in cap. 1. supra, num. final. ubi probavi in hoc iudicio diffamationem ipsam vicem accusatoris gerere. In jure etiam nostro canonico variè sunt compilatæ decretales de hac inquisitione sub præfenti titulo de accusat. & inquisitionibus: ut textus in cap. qualiter 17. cap. qualiter 24. & alii. Jure etiam Regio talis inquisitio commendatur in leg. 1. & 6. titul. 1. lib. 8. recopil. & probat late hunc procedendi modum Bobadilla lib. 2. polit. cap. 13. per totum, Zypæus de magistrat. lib. 3. cap. 9. plures congesti à Solorzano 2. tom. de jure Indiarum lib. 4. capite 5. num. 6. & emblemat. 70.

Deindè sciendum est, inquisitionem hanc aliam dici generalissimam, per textum in cap. Inquisitionis, ff. ut olim, hoc titul. cap. Romana, de censibus in 6. quando fit ex mero officio Pontificis, in generali Concilio Primatis, seu Metropolitanis, in Concilio nationali, seu provinciali: alia dicitur generalis quoad delicta, & quoad personas, ut cum Præfès inquirat in sua Provinciâ reos diversorum delictorum, leg. congruit, ff. de officio Præs. vel generalis, quoad personas criminosas; specialis verò quoad delictum, ut cum Judex inquirat super homicidio, furto, aut simili delicto speciali, leg. 3. §. si tibi iudicium, ff. de condit. ob turp seu generalis quoad delicta, specialis quoad personas, ut in præfenti textu, quando visitator inquirat in certa Ecclesia ad investigandum aliquod delictum; seu specialis, tam quoad delicta, quam quoad personas, ut cum de certo, & speciali delicto Præfès inquirat contra limitatam, & certam personam, juxta textum in leg. ea quidem, Cod. de accusat. leg. 2. §. publico, ff. ad leg. Jul. de adult. prosequuntur Amadeus in tractat. de syndicato, ex numero 6. Maranta de ordin. judic. 6. p. titul. 1. de inquisit. Gregor. Lopez in præmio, titul. 17. part. 3. Paz in praxi, p. 1. num. 7. & 5. p. cap. 1. num. 1. D. Joannes Vela de modo proced. capite 3. num. 2. Farinac. tom. 1. praxi crimin. tit. de inquisit. quest. 1. numero 4. Morla in empor. titul. 2. quest. 3. num. 45. Pereyra de manu Regia. p. 1. cap. 10. a num. 20. & 2. p. cap. 56. à numer. 9. Gutierrez de delictis lib. 1. capit. 1. Fragos p. 1. de regim. lib. 5. dist. 12. §. 6. Omnes tamen supra relatæ inquisitiones ad duas frequenter reducuntur species, generalem scilicet, & specialem: generalis est in qua ad investiganda delicta, & eorum reos, in genere agitur; de qua in dict. leg. congruit, cap. placuit 22. 10. qu. 1. cap. 1. cap. irrefragabili, de offic. ordin. cap. sicut olim. 25. hoc titul. cap. 1. §. sanè de censib. libro sexto. Trident. sess. 14. de reform. cap. 4. quæ apud nos lege Regiâ prohibita est, l. 1. 2. & 4. tit. 1. lib. 8. recopil. l. 8. tit. 12. eod. libro. sive etiam ad



ad inquirendos criminosos, cum de delicto constat, *l. idem 4. §. utim. ff. de condit. ob turp. caus. l. civile 5. Cod. de furtis*. Specialis verò est quæ fit contra aliquem, vel aliquos specialiter nominatos super certo crimine, quod commissum fuisse constat. Docuerunt D. Joseph. Vela in *cap. 1. de offic. Ordin. p. 2. num. 163*; Sanchez *lib. 6. consil. cap. 3. dub. 16*. Lantmeter. *lib. 2. de veteri monach. cap. 108*. Picardus in *manu duct. ad prax. p. 3. §. 2*. Inter inquisitionem autem generalem, & specialem magnum versatur discrimen; nam in generali non est necessaria infamia præcedens, sed potest Judex ex officio absque accusatore, vel denunciatore inquirere, an sciant de aliquibus delictis, & criminum reis, de quibus possint secundum jus denunciare, aut testificari: in inquisitione verò speciali omnino desideratur infamia, vel ut vehemens aliqua suspicio præcedat, qualis ex generali inquisitione orti solet, *cap. qualiter 17. §. 24. h. c. titul. cap. licet Heli, de Simonia*, latè probat Valenzuela *consil. 161. ex num. 20*. quia cum in hoc judicio non adfit verus accusator, necesse est ut intercedat aliquid, saltem quod in ejus locum subrogetur, nempe fama, quæ loco ac usatoris habetur, *dist. cap. qualiter 17. ibi: Non tanquam idem sit accusator, & Judex; sed quasi denunciante famâ, vel deferente clamore, judicium peragatur*. Mancinus *lib. 2. genial. cap. 103*. propter scandalum enim ex tali diffamatione resultans totus populus videtur accusare, argumenta capitis Presbyter, *cap. si à plebe 13. cap. si mala fama 16. 2. q. 4. D. Thomas 2. 2. quest. 68. art. 3*. Sotus *de regendi. sever. memb. 2. cap. 6. Acunna in cap. de Petro, 47. dist. Guazinus in defens. reor. defens. 9. cap. 1*. Certos tamen casus, in quibus nec hæc diffamatio necessaria est, refert Sanchez *dist. cap. 3. dub. 19. per totum*; & quænam argumenta sufficiant ad hanc diffamationem, Explicant Fachineus *lib. 9. c. nro xxi. cap. 15. Raz in dist. l. 50. stili, Gutier. de delictis, dist. quest. 1*.

ii.  
Traditionis  
ratio  
accidentis

His suppositis apparet ratio præsentis asser-tionis; nam cum in hoc inquisitionis judicio procedat Judex ex officio proprio virtute diffamationis, non verò ad petitionem partis, poterit pro arbitrio augere, vel minuire pœnam impositam pro tali delicto: & cum hoc judicium sit extraordinarium, *cap. quoniam, de probat. Beronius in rubric. de judiciis, numer. 54*. Decius ibi, *numer. 7*. Bossius in *praxi, titul. de inquisit. numer. 16*. utpotè in quo non adest accusator proprius, qui agat, testesque ante litis contestationem recipiantur, contra dicta in *cap. 1. ut lite non comest. & alia extra ordinem judiciorum adhibeantur, meritò & extraordinaria pœna imponenda est pro arbitrio judicis*. Hodie tamen cum adeò judicium hoc per inquisitionem usitatum sit, ut penè ordinarium ratione consuetudinis dici possit, imponitur pœna ordinaria etiam à Judice procedente per viam inquisitionis, ac si procedat interpellatus ab accusatore, ut notat Anguianus *de legibus lib. 2. cap. 6. num. final.*

12.  
Dissolvi-  
tur du-  
bitandi  
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam verum est, Judicem in causa criminali, ubi adest accusator, & ordinario modo proceditur, non habere arbitrium, seu facultatem augendi, minuendive pœnam delicto impositam; at verò in præsentibus agimus de judicio extraordinario,

in quo Judex extra ordinem procedit; quo casu non ordinaria pœna, sed extraordinaria imponenda est, juxta supra tradita. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis deductum *ex dist. leg. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. leg. 2. Cod. de abolit. cum aliis*: pro cujus solutione Abbas *his num. 8*. Felinus *num. 3*. quos refert & sequitur Tiraquel *de pen. temper. caus. 53. num. 2*, discrimen assignant inter Jus canonicum, & civile, ut hoc cum sit gratia, & misericordiâ plenum, finemque tantum supernaturalem intendat, mitiores & leviores pœnas semper injungat, quoties sine ac usatore proceditur, & negotium criminale per viam inquisitionis agatur; Jus verò civile, utpote strictius & prophanium, eandem ordinariam infligendam pœnam esse decrevit, sive procedatur per inquisitionem, sive per accusationem. Sed meritò eos refellit Anguianus *libro secundo, de legibus, capite sexto, num. 8*. nam æquè hoc judicium inquisitionis extraordinarium est Jure canonico, ac Jure civili; undè si Jure Pontificio attento, quia in eo judicio extraordinariè proceditur sine accusatore, pœna extraordinaria imponitur, etiam Jure civili quia extraordinariè per inquisitionem Judex cognoscit, extraordinaria pœnæ locus esse debet. Quare hac sententiâ omnia dicendum est, nullum in hac parte versari discrimen inter Jus canonicum, & civile; & ut difficultati satisfaciamus, textus in ea adducti sigillatim explicandi sunt; non enim obstat textus in *dist. l. 2. §. ex publico*, nam in eo Ulpianus tantum refert Imperatorem Severum damnasse Claudium Equitem illustrem pœnâ lenocinii, quia uxorem in adulterio deprehensam retinuerat; non tamen exprimitur, an pœnâ ordinariâ, vel extraordinariâ; immò factè ex ipsa facti ferie deducitur, pœnâ extraordinariâ ipsam affectum fuisse, ut notavit Anguianus supra, *num. 24*. Similiter dum in *lib. 2. Cod. de abolit. in judicio extraordinario competens pœna injungi præcipitur, per pœnam competentem satis innuitur, non ordinariam, sed extraordinariam imponendam esse. Nec etiam obstat dicta lex 4. C. de sepulchro viol. nam facile ex illis verbis, quæ penè præsa severitati accedit, aperte deducitur, pœnam ibi impositam, non esse ordinariam, & propriam criminis sepulchri violati, sed potius illi accedere. Nec etiam obstat textus in *d. l. ordo 8*. nam in eo Paulus non agit de judicio inquisitionis, sed tantum asserit delicta esse puniendâ, etsi extraordinariè pro-bentur, hoc est abrogatis scrupulos formulis judiciorum, quia eo tempore jam omnia judicia extraordinaria erant. Nec obstat aliud augmentum dubitandi rationis, deductum ex præ-senti textu, cui ut satisfaciatur Anguianus *dist. cap. sexto, num. penult.* ex Abbate, & Innocent. in præsentibus, assumat ea verba, sicut in *accusationis judicio*, esse accipiendâ de modo procedendi in illis casibus, videlicet ut processus formetur, sicut cum proceditur per viam accusationis; non verò quia ibi affirmet Pontifex pœnam esse infligendam cum proceditur per inquisitionem, ac si per inquisitionem procederetur. Verum hæc solutio satis refellitur ex ipso dubio, cui satisfacere intendebat Pontifex; consultus enim Innocentius fuerat, an in delictis, quæ per inquisitionem claruerant, imponenda esset pœna extraordinaria; & tunc respondet sub ea distinctione, ut in casibus homicidii, & simoniarum eadem*

eadem pœna imponatur, ac infligitur cum per accusationem proceditur; in aliis verò delictis posse iudicem pœnas pro arbitrio moderari: quare eâ sententiâ omisâ verius dicendum est, quod licet cum proceditur per inquisitionem, imponenda sit pœna extraordinaria; tamen cum delictum commissum fuit homicidium, vel simonia, ordinaria imponenda est. Ratio hujus discriminis ex eo provenit, nam in his duobus delictis pœna suspensionis ipso jure incurritur, ita ut necessaria sit sententia declaratoria, ut beneficium pro vacante habeatur, ut probat Suarez *ubi supra*; tamen ipso jure reus suspenditur ab officio, & pœnam in utroque delicto incurrit, aded ut si postea pœnituerit, nihilominus Missam celebrare non possit, ut de homicida probatur in *cap. final. de tempor. ordin. c. sicut dignum, de homicid. c. in quibusdam, de pœnis, cap. miror, 50. distinct. de simoniaco in cap. accusatum 4. cap. quotiens 5. de simon.* Unde cum in eis casibus, siue procedatur per accusationem, siue per inquisitionem, vel sententia tantum sit declaratoria pœnæ incurse ob homicidium, vel ob simoniam; ided iudex nullam habet facultatem moderandi, minuendive pœnam jam incursum, ut docuit Luna, & Arellanus *lib. 5. singul. antinom. 1.* Nec tunc obstat caput *dilectus 30. de simon.* ubi delictum simoniæ diverso modo punitur; si per inquisitionem, ac si per accusationem in iudicium deducatur; nam ejus veram interpretationem dabimus in ejus commentario.

13. Ex qua doctrina exponendus est textus in *cap. 2. de confessis*, qui contra præsentem assertionem communiter expendi solet. In ejus specie Canonicus Bethlehemitanus, qui simoniam perpetraverat, absque accusatore, & extraordinariè detectus, punitur; cenâ ordinariâ simoniaci: igitur quia in iudicio extraordinario inquisitionis pœna ordinaria imponenda est. Pro cujus textus expositione varia adduxit Anguianus *dist. lib. 2. de legibus, cap. 6. num. 22.* quibus omisâ dicendum est, quod cum delictum, quod in eo textu incidenter clauerat, esset simonia, & in hoc delicto, etsi per inquisitionem procedatur, imponenda sit pœna ordinaria, juxta suprâ tradita, & docent Hallier. *de sacris elect. sect. 7. art. 12. § 4.* Berolius in *cap. qualiter 24. num. 53. hoc titul.* ided in ea specie pœna ordinaria imponitur, seu potius declaratur, pœnam suspensionis ab officio, & depositionis à beneficio ipsum Canonicum contraxisse. Accedit quod in eo textu processu fuit per viam notorii mediante confessione in jure facta, unde necessariò imponenda erat pœna ordinaria, ut in *cap. tunc, de pœnis, cap. cum non ab homine, de iudicis.*

14. Secundò opponi solet præsentem assertionem textus in *cap. final. de celebratione Missar.* ubi cum per inquisitionem ageretur contra clericum, & con-

stator ipsum in pane fermentato, & scypho ligneo, sine igne, & aqua celebrasse, deponitur ab officio, & beneficio: quâ pœnâ afficiendus erat, si per accusationem in iudicium deferretur: igitur quia cum proceditur per modum inquisitionis, mitior pœna imponenda est. Cui difficultati communiter respondetur, in eo textu presbyterum ipsum crimen illud confessum fuisse in iudicio, & ita ob propriam confessionem in iudicio factam pœnâ ordinariâ ipsum affici: ita Berolius in *dist. cap. qualiter 24. num. 54.* Sed hæc solutio facile convincitur ex eo, nam etsi clericus in ea specie fateretur delictum, tamen per modum inquisitionis procedebatur; unde iuxta præsentem textum pœna ordinaria imponenda non erat. Quare eâ solutio omisâ, & aliâ Berolii, qui depositionem illam accipit pro depositione non ab ordine sacro, sed ab officio ecclesiastico, dicendum est, pro criminibus à presbytero in ea specie admissis, non unam pœnam, sed varias à jure constitutas esse, ut ex canonibus in ejus commentario congestis apparet: unde Summus Pontifex, ut eum debite puniret pro tantis excessibus ex malitia, vel nimia ignorantia admissis, eum deponendum esse ab officio & beneficio iussit, quia Pontifex potest illam, vel aliam majorem pœnam imponere, *cap. 1. distinct.*

Ex suprâ traditis accipit lucem textus in *cap. ex uarum, de excess. Pralat.* ubi cum per viam inquisitionis procederetur contra Episcopum, eo quod furem suspendere iussisset; indictâ illi prius purgatione vulgari ferri candentis, ait Pontifex, quod cum ita graviter deliquerit, officio illum esse privandum; & quia sine officio beneficium retineri non potest, ipsum ab officio esse removendum. Ex quo textu deducitur, quod etiam cum proceditur per inquisitionem, pœna ordinaria imponenda est; siquidem eo casu ob suspensionem furis eadem pœna erat afficiendus Episcopus, ex traditis in *cap. sententiam, ne cleric. vel monach.* sed ejus textus vera ratio ex præsentem textu & suprâ traditis provenit; nam cum in eo textu agatur de pœna homicidii ob defectum lenitatis admissi, propter quod etiam pœnitentiâ factâ, Episcopus non poterat retinere officium, ided docet Pontifex pœnam ordinariam locum habere, & ipsum Episcopum ab officio suspensum, etiam ab Episcopatu esse amovendum, cum eo casu etiam pœnitentiâ factâ semper Episcopus maneret irregularis, & per consequens cum celebrare non posset, nec Episcopatum retinere valebat.

## CAPUT XXII.

2 *Sylvanectensi Episcopo, & Abbati* b *Latiniacensi, Parisensis Dia-*  
*cesis, & Decano Sylvanectensi.*

**A**D petitionem Walteri quondam monasterii c *Corbeiensis* Abbatis, dilecto filio Magistro Scholarum, & Magistris R. de d *Corzon*, & P. Canonicis e *Noviomensis* ejusdem loci, a nobis dudum correctione commissa, ipsi bis ad idem monasterium accedentes, quibusdam correctis, ibidem nonnulla, quæ statuenda fuerant, statuerunt, inquisitionis instantiam quorundam impediendo malitiâ retardando. Ad quorum contumaciam reprimendam, sæculare intendebant brachium f invocare. Verum dilectus filius noster G. g sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, interim ad idem veniens monasterium, supradicto Waltero præsentem, nec reclamante, super statu monasterii memorati cepit inquirere diligenter: & cum inquisitione finita prædictum W. Parisios evocasset, propositurum contra inquisitionem eandem, si quid rationabiliter duceret proponendum, idem W. præsentiam ejus adiens allegavit, quod in monasterii correctione procedere non valebat, quæ prædictis iudicibus prius fuerat auctoritate nostrâ commissa: & Cardinalem ipsum ex justis causis se asserens habere suspectum, vocem ad nos appellationis emisit. Porro Cardinalis inspectis his, quæ probata fuerant contra eum, de consilio peritorum ipsum amovit à regimine Abbatiæ, dando h fratribus ejusdem loci liberam facultatem alium eligendi. Qui dilectum filium Joannem Abbatem Corbeiensis, tunc Priorem de i *Argentolio*, virum providum, & honestum elegerunt concorditer in Abbatem. Cum autem dictus W. postmodum ad Sedem Apostolicam accessisset, asserens se per Cardinalem ipsum quorundam falsis suggestionibus circumventum, ab Abbatiæ sine rationabili causa remotum: Nos ejusdem Cœnobii tranquillitati paternâ sollicitudine providere volentes, venerabilibus fratribus nostris i *Archiepiscopo Rhemenis* & k *Atrebatensi Episcopo* dedimus in mandatis, ut ad l compositionem inter eundem W. & substitutum ei, darent studium & operam efficacem. Alioquin tam per jam dictum Legatum, quam per alios inquirerent diligentius veritatem, & eam nobis usque ad Festum S. Remigii proximò tunc venturum, fideliter intimarent, ut per eorum relationem certiores effecti, procederemus in eodem negotio pro ut procedendum utilius videremus. Qui cum super reformatione pacis proficere nequivissent, sicut ex literis eorum accepimus, processerunt ad inquirendum super præmissis omnibus veritatem, testibus ab utraque parte receptis; & ea quæ tam per se, quam per Cardinalis inquisitionem invenerant, nobis sub sigillis propriis transiferunt. Nuper autem præfati W. atque l. in nostra propter hoc præsentia constitutis, idem W. quod à Legato post appellationem ad nos interpositam factum fuerat, petiit revocari: allegans quod cum correctio monasterii fuerit iudicibus memoratis injuncta, & ipsi quibusdam correctis, & nonnullis statutis ibidem, aliorum correctionem ex causa duxerint rationabili differendam, Cardinalis interim de jure non potuit procedere ad eandem, cum generale mandatum non m deroget speciali. Ad quod fuit ex adverso responsum, quod cum W. præsentem, nec reclamante, ad inquisitionem processerit Cardinalis, quæ corrigenda videret. Contra quod idem W. taliter proponebat, quod licet statim ut cepit inquirere Cardinalis, non duxerit reclamandum, credens eum nolle procedere contra ipsum, sed absque sui gravamine aliquid in Ecclesia utiliter ordinare, postquam tamen evocatus ab ipso cognovit, quod adversus eum procedere intendebat, ejus declinavit examen, ad nostram audientiam appellando. Proposuit in super pars adversa, quod cum prædicti iudices omisissent in monasterii correctione procedere, & periculum traheret ad se mora, Cardinalis ipse, ad quem spectabat ex injuncto sibi legationis officio cura ejus, ad reformationem ipsius loci interponere potuit partes suas. Cum enim secundum juris civilis auctoritatem, in illis etiam casibus, in quibus solennis ordo judiciarius observatur, in criminali causa n ultra biennium à contestatione litis non sit ejus instantia protrahenda, & nos o quoque consulti, quamdiu delegatus à nobis, qui sententiam tulerat, jurisdictionem suam interponere valeat, ut sententiæ pareatur, respondisse noscamur, quod usque ad annum integrum jurisdictionem sibi commissam ad exequendum sententiam valeat exercere: dictis iudicibus differentibus in correctione procedere, cum jam decem & septem essent menses elapsi, ex quo noscuntur mandatum Apostolicum recepisse: ac de criminibus inquirere,

quirere, licet non criminaliter ageretur, correctioni non immerito Cardin. insistere potuit memorata. Sed ad hoc altera pars respondit, quod hoc colorem excusationis haberet, si prædicti iudices à Legato commoniti ad correctionem procedere neglexissent. In quo casu eorum forte defectus per diligentiam potuisset Legati suppleri, sicut de Metropolitanano in canonibus legitur, quod tunc demum ea potest facere, quæ ad Suffraganeos pertinent, cum illa Suffraganei negligunt adimplere. His igitur, & aliis, quæ utraq; pars proponere curavit, auditis, & inquisitione utraq; Cardinalis videlicet, & Archiepiscopi, & Episcopi prædictorum diligenter inspecta, intelleximus ex depositionibus juratorum, quod cum tempore promotionis ipsius W. octo millium librarum monasterium gravaretur, & non multo tempore post idem debitum usque ad duo millia librarum fuerit diminutum, nunc tamen usque ad sex millium librarum summam excrevit; cum sicut prius contigerat, de proventibus monasterii debitum potius diminui debuerit, quam augeri, nisi Rectoris incuria obstitisset. Et quamvis ad excusationem suam proposuerit idem W. quod propter expensas factas in causa, quam contra Cluniacense monasterium habuit, in qua quendam Prioratum evicit, idem fuerat debitum augmentatum; fuit tamen ei ex adverso responsum, quod propter expensas illas debitum interim augmentari non debuit, cum propter hoc possessiones quasdam ejusdem obligaverit Prioratus, maxime cum in ejusdem prosecutione negotii vix expensæ fuerint mille libræ. Adjecit etiam dictus W. quod occasione cujusdam domus, quam in villa Corbeix de novo construxerat, debitum supradictum excrevit. Ad quod pars adversa respondit, quod ex proventibus monasterii expensas hujusmodi facere potuit absque onere debitorum; præsertim cum propter hoc non modicum auxilium à Burgensibus fuerit eidem impensum. Præterea cum ex confessione ipsius constiterit, quod in Capitulo præstiterat juramentum, ne debitum de novo contraheret: ac postea contraxerit debitum, contra juramentum proprium veniendo, sicut testes deponunt, argui de perjurio videbatur. Ad quod idem W. hoc modo respondit, quod etsi primo hujusmodi præstiterat juramentum, postea tamen quoddam factum fuit in Capitulo constitutum, per quod juramentum ipsum extitit relaxatum. Sed contra hoc pars altera replicavit, quia cum non constiterit, quod per tale statutum revocatum fuerit juramentum, & appareat eundem W. non solummodo juramentum, de debito non contrahendo præstasse, sed venisse postea contra illud; manifestè liquet, ipsum reatum perjurii incurrisse: sed & ipsius insufficientia & negligentia dissoluta videbantur manifestè probari. Et quamquam aliqui testium eum, quantum in se, dixerint esse bonum, nulli tamen deposuerunt expressè, quod utilis esset ejus provisio monasterio sæpèdicto. Cum ergo nobis de talibus fuerit sufficiens in tali negotio facta fides, propter quæ præfatus W. erat meritò amovendus: etsi restituendus foret propter judicarium ordinem non servatum, ob causas tamen prædictas ipsum providimus manere privatum regimine Abbatix: Joannem nihilominus supradictum, quem pro eo, quod præfatus W. propter juris ordinem non servatum quodammodo inordinatè remoto, intelleximus ob eandem causam per consequentiam minus legitime substitutum, per sententiam amoventes: quem quia non propter personæ vitium, vel defectum, sed propter juris solemnitatem, sicut præmissum est, prætermissam amovimus; ipsum postmodum restituimus in Abbatem: & memorato W. in loco, qui dicitur Guidoc, cum pertinentiis suis in Imperio constitutis, justimus provideri. Ita videlicet, quod ibi cum uno Corbeiensis monacho commoretur, & censum quinque marcharum ad pondus Colonienfem, in festo Purificationis Beatæ Virginis, Abbati & successoribus suis annuatim persolvat: & personatibus, ac Ecclesiis ejusdem Ballivæ, jam dicti Abbatis & successorum suorum donationi liberæ reservatis, eisdem fidelitates, & homagia liberorum hominum eorundem locorum debeant exhiberi. Ac in juramento fidelitatis, quod eisdem fuerit præstitum, exprimeretur, quod iidem homines supradictum W. super suæ provisionis proventibus nullatenus damnificare præsumant, ita videlicet, quod & ipse W. super indemnitate prædictæ Ballivæ, ne ipsam dilapidet, corporale præbeat juramentum. Si quid autem post sententiam nostram super utriusque amotione prolata, circa electionem Abbatis, quam in prolatione ipsius sententiæ nostræ duximus providentiæ reservandam, à Corbeiensibus monachis, vel quolibet alio, in ejusdem Abbatis præjudicium fuerit attentatum, id decernimus non valere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod à nobis est pro ipsius Monasterii utilitate provisum, faciatis appellatione remotâ inviolabiliter observari, corrigentes circa Priorem, & Monachos, & Prioratus Monasterii memorati cum consilio Abbatis ipsius, quæ secundum Deum, & B. Benedicti Regulam fuerint corrigenda: & statuentes ibidem, quod regulare fuerit, & honestum: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo. Quod si

non omnes, &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Lateran. vii. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

## NOTÆ.

1. **a Sylvanectensi.** ] Ita restituta inscriptionem, & integram epistolam ex epistolis Innocentii III. editis à Bosqueto *lib. 1. regestr. 13. epist. 1.* Sylvanectensis civitas Gallie, ita dicta à Sylva Regia, quæ illam olim circumdabat, habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Rhemenfis, cui sanctus Dionysius Areopagita sanctum Regulum ejus discipulum primum Episcopum designavit: notatur *in cap. ex parte, de rescriptis.* In præfenti rescribit Innocentius Gaufrido ejus Præfuli 51. de quo hæc Rigordus ad annum 1213. *Gaufridus Sylvanectensis Episcopus sentiens se tam arate, quam corpulentia pondorosa insufficientem oneri, quod jam per triginta annos portaverat, impetrat à summo Pontifice, sicut in jure cautum est, licentia & renunciat Episcopatu, & transtulit se ad monachos Caroli loci Cisterciensis Ordinis.*
2. **b Latiniacensi.** ] Latiniacum percelebre monasterium est Ordinis Div. Benedicti, in diocesi Parisiensi, constructum à sancto Furteo ejus primo Abbate anno Christi 648. exemptum ab omni jurisdictione, immediatè paret Romano Pontifici, & ejus Abbas Dynasta dicitur, ut referunt Yepes *tom. 2. Chron. Div. Benedicti, anno 648. cap. 2.* Chopinus *lib. 1. de sacr. Pol. tit. 4. numer. 17.* Cartham fundacionis referunt Sarmath. *tom. 4. Gallia Christ. verbo Latiniacum.*
3. **c Corbeienfè.** ] Duplex est monasterium Corbeienfè Ordinis Div. Benedicti: aliud novum, in Saxonia, de quo egi *in cap. cum venerabilis, de constit. alud vetus, in Francia, in diocesi Ambianensi, fundatum à sancta Batilde vidua Clodovei II. Christianissimi Regis, sub titulo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, dictum Corbejenfè à pago, in quo ædificatum fuit: olim opulentissimum fuerat, & ab omni jurisdictione exemptum per nostrum Innocentium III. cujus exemptionis litteras refert Yepes *tom. 2. Chron. Div. Benedicti, in appendice, qui plura de eodem monasterio adducit anno 662.**
- d R. de Corxon.** ] Robertus videlicet, qui Canonicus Parisiensis, creatus fuit Cardinalis tituli sancti Stephani in Cælio monte, ut constat ex epistola 150. Innoc. III. *lib. 1. regestr. 13.*
- e Noviomensibus.** ] De Noviomensi Belgarum diocesi egi *in cap. 1. de delictis puer.*
- f Invocare.** ] Juxta tradita *in cap. 1. de offic. judic.*
4. **g G. sancte Maria in Porticu.** ] Hic est Guallus, de quo Rigordus in vita Philippi Augusti, anno 1108. ait: *Innocentius Papa III. misit Legatum in Franciam Guallum sancte Maria in Porticu Diaconum Cardinalem, juris peritum, bonis moribus ornatum, omnium Ecclesiarum visitatorem diligentissimum.* Postea fuit creatus presbyter Cardinalis tituli sancti Martini, ut notavit Bosquetus *in præfenti.*
- h Fratribus ejusdem loci.** ] Quibus competebar electio Abbatis ipsius monasterii, ut constat ex
- epistola Nicolai Pontificis, quam refert Yepes *tom. 2. Chron. D. Benedicti, in appendice.*
- i Argentolii.** ] De quo Prioratu egi *in cap. 1. de exceptionibus.*
- j Archiepiscopo.** ] Guidoni videlicet De Rhemenfi Metropoli nonnulla notavi *in cap. 2. de appellat.*
- k Arebatensi.** ] Rodulfo videlicet, de quo, & ea diocesi egi *in cap. 13. de arbitris.*
- l Compositionem.** ] Ad quam non solum iudices ecclesiastici partes debent inducere, verum & aliquando cogere, ut *in cap. 16. de electione, ubi probavi.*
- m Non deroget speciali.** ] *Cap. studuisti 2. de offic. delegat.* immò è contra speciale derogat generali, ut probavi *in cap. 1. de rescriptis.*
- n Ultra biennium.** ] Ut probavi *in cap. causis 4. de offic. deleg.*
- o Nos quoque consulti.** ] *In cap. quærenti 26. de offic. deleg.*
- p Negligunt adimplere.** ] Juxta tradita *in cap. Pastoralis, de offic. Ordin.*
- q Burgenfisibus.** ] Burgenfes qui dicantur, expositi *in cap. Abbas, de his qua vi, metusve causa fiunt.*
- r Propter juris solemnitatem.** ] Et ita rectè poterat iterum eligi, juxta tradita *in cap. super eo, de elect.*

## COMMENTARIUM.

CUM de hujus textus integra parum carassent repetentes, varia, & prorsus aliena ab Innocentii mente in præfenti docuerunt, illudque eis præcipuè in hac Decretali difficile visum est, quomodo videlicet Pontifex, qui teneatur ordinem judiciorum servare, *cap. in causis 19. de re judic.* confirmavit sententiam privationis Abbatis Corbeienfis, imposità à Cardinali Legato, judicario ordine non servato: & etiam confirmavit electionem Joannis, qui non potuit in locum V. substitui, si ille dejectus fuit juris ordine prætermisso. Quod autem juris ordo servatus non fuit, pater; nam Cardinalis Legatus, de quo in hoc textu, non erat iudex competens ad depositionem Abbatis Primò, quia inquisitio fuerat specialiter commissa Canonicis Noviodun. unde Legatus in ea procedere non potuit, *ex cap. studuisti 2. de offic. deleg.* Secundò quia fuerat tanquam suspectus recusatus, & simul appellatio ab eodem interposita, ob quas causas suspenditur iudicis potestas, *cap. si quis 4. de foro compet. cap. cum speciali 61. in princip. de appellat.* Exactis verò coram iudice incompetenti non potest ferri sententia per alium iudicem, ad quem causa cognitio pertinet, *cap. at si clerici, de judiciis.* Cui difficultati ut satisfaciant Glossa in *in præfenti, verbo Providimus, Anania numer. 2. Pereyra de man. reg. part. 1. cap. 4. numer. 7.* docent Pontificem de plenitudine potestatis posse judicare

judicare solâ veritate attentâ , & omisso judicio-  
rum ordine. Sed hæc sententia convincitur tum  
ex dict. cap. in causis, tum quia Princeps non debet  
judiciorum ordinem prætermittere, & eorum so-  
lennitatem relaxare, nisi ex justa & necessariâ cau-  
sa. Butrius in præsentî, num. 24. docet senten-  
tia Innocentii in præsentî justificari ex actis ge-  
stis ante recusationem, & appellationem. Sed hæc  
sententia præterquam quod divinatoria est, con-  
vincitur, quia per præventionem factam à judi-  
cibus delegatis incompetens effectus fuit Cardi-  
nalis Legatus; & ideo de causa agnosceas juris or-  
dinem prætermisit. l. juris ordinem, Cod. de jurif-  
diti. Quare his omiffis sententiis dicendum est,  
Innocentium in præsentî casu judicarium ordi-  
nem servasse, & per legitimos tramites approbas-  
se sententiam privationis, quam tulerat Cardina-  
lis Legatus, quia in ipsa instantia appellationis co-  
ram ipso fides facta fuit criminum, & excessuum,

quæ coram Cardinali objecta, & probata fuerant  
contra Abbatem spoliatum, ut constat ex versicu-  
lo cum igitur, hujus textus. Unde non imponitur  
pœna privationis, nec confirmatur electio se-  
cundi Abatis, propter acta gesta prætermisso ju-  
diciorum ordine, sed propter acta legitime ordi-  
nata in instantia appellationis: quam praxim ag-  
noverunt, & probarunt Bartol. in l. 1. numer. 12.  
Cod. quando provocare, Alex. lib. 6. consil. 181 nu-  
mer. 14. Valascus de partit. cap. 39 numer. 74 &  
eadem ratione, sicut confirmatur ab Innocentio  
depositio prioris Abbatis, ita etiam approbatur  
nova electio secundi; quia licet in principio ordi-  
natè facta fuisset, prætermisso legitimo judicio-  
rum ordine; tamen in plenario appellationis judi-  
cio Pontifex ex novis actis depositionem unius, &  
electionem alterius confirmavit.

## C A P U T XXIII.

a Innocentius III. in registro.

A Ccedens ad præsentiam nostram G. b nepos quondam Subd. n. H. suâ nobis qua-  
stione monstravit, quod cum dil. fil. noster H. Subd. apud Sed. Apost. viam u-  
niversæ carnis ingressus fuisset, præbendam, quam decedens habuerat in Ecclesia  
c Cremon. ei duximus, d conferendam, ven. f. n. H. Episcopo & dilectis f. Capitulo  
Ecclesiæ Cremon. injungentes ut eum in fratrem recipient, & tam e stallum in  
Choro, quam locum in Capitulo, & præbendam eandem ipsi sine difficultate aliqua  
assignarent: tibi etiam, fili Archid. & dil. fil. Præposito sanctæ Agathæ dedimus in  
mandatis, ut si Episcopus, & Canonici mandatum Apost. non impleverunt, vos il-  
lud sublato appellationis obstaculo exequi curaretis, contradictores per censuras ec-  
clesiasticas appellationis remotâ compescerent. Cumque tu, & idem Præpositus, sicut  
ex litteris vestris accepimus, monuissetis Episcopum, & Canonicos Cremon. ad man-  
datum Apost. exequendum, ipsi asseruerunt nostras litteras per veri suppressionem  
obtentas, cum vivente adhuc Subd. prædicto, filium cujusdam nobilis civis Crem.  
in Canonicum recepissent, & promississent proximam præbendam vacaturam. Ad-  
jecerunt etiam, quod ante receptionem litterarum nostrarum nuntium suum ad Sed. A-  
post. destinarunt; & ideo ne procederetis ulterius, ad audientiam nostram appel-  
larunt. Juvenis etiam, cui per Episcopum, & Canonicos eadem fuerat præbenda  
concessa, duxit ad audientiam nostram proclamandum, unde vos non processistis  
ulterius, sed quæ acta fuerant, per vestras nobis litteras intimastis. Igitur petebat  
memoratus G. ut ex eo, quod Canonici contra f Later. Concil. fecerant, impediri  
non pateremur nostræ concessionis effectum, sed præbendam ipsam faceremus eum  
pacificè possidere, quæ si fuisset etiam juveni memorato concessa, debebat tamen  
nostra concessio, quæ præcesserat, prævalere. Verum dil. fil. Bonus Joannes prædi-  
ctorum Canonicorum & Episcopi nuntius, proposuit, quod prius quam ad eos man-  
datum Apost. emanasset, præbendam ipsam juveni concesserant memorato: & sub-  
junxit, quod dictus G. super homicidio, & perjurio infamiâ publicâ laborabat: unde  
non solum admittendus non erat ad Crem. Ecclesiam, sed ejicendus potius, etiam  
dum fuisset g admittus. Episcopus quoque per suas nobis litteras intimavit, quod cum  
pro eodem G. litteras Apost. recepisset, ei consuluit, ut etsi conscientia salvâ posset, ta-  
men saltem de perjurio & homicidio se purgaret, nisi contra eum appareat h legitimus  
accusator: sed ipse purgationem præstare noluit, nec offerre. Nos igitur attendentes,  
quod si filius nobilis memorati, sicut Episcopi, & Canonicorum Crem. & executo-  
rum nostrorum litteræ attestabatur, fuit contra Later. Concilium ad proximam va-  
caturam admittus, ut postmodum acceperunt, non vacantem, cum prius quam de mor-  
te Subd. ad Crem. certus nuntius prævenire potuisset, prædictam præbendam concesserim.  
prædicto G. d. v. per Ap. sc. mandamus quatenus quod de præmissis juvene factum est,  
denuntiatis irritum & inane, ac nisi præfatus clericus super prædictis criminibus publicè

fuerit infamatus, concessionem nostram sibi factam per cens. eccl. ap. rem. executioni mandetis. Demum si legitimus accusator apparuerit, auditis quæ fuerint hinc inde <sup>i</sup> proposita, etsi prædicta crimina, vel eorum aliquod, legitimè fuerint probata, ipsis super eadem præbenda perpetuum silentium ap. postposita imponatis. Quod si probare nequiverint, eam sibi auctoritate Apost. confirmetis: si verò contra eum legitimus non apparuerit accusator, si ipse super prædictis criminibus dignoscitur famam respersus, purgationem ei canonicam indicatis, in qua si fortè defecerit, perpetuum silentium ei imponere curetis: si autem præstiterit ipsam, contradictores ab ejus molestia compescatis, & eos, qui nisi sunt eum impedire, in expensis ipsi legitimis condemnatis.

## NOTÆ.

1. a <sup>i</sup> *Dem.* ] In quarta collectione, *sub tit. de concess. præbend. cap. 3.* reperitur textus hic, pro ut in præfenti transcribitur, sub hac inscriptione: *Innoc. III. registr.* Sed etsi sedulo legas regestrum epistolarum ipsius Pontificis editum Colonix, & correctum à Cardinali Sirleto, & editum à Boschetto, non reperies præsentem epistolam, quia spectat ad libros regestri, qui adhuc non prodierunt: quare cognosci non potest, cui Archidiacono rescribat Pontifex, licet ex textus serie facile deducatur, rescribere Archidiacono.
2. b *Nepos* ] Id est filius fratris, qui non prohibetur in beneficio patris virtute novæ electionis succedere, *cap. 2. de arbitris, cap. ex parte, de offic. deleg. ubi notavi.*
- c *Cremon.* ] De Cremonensi Ecclesia egi in *cap. 2. de presb. non bap.*

d *Conferendum.* ] Quia omnia beneficia vacantia in Curia, jam olim conferebantur à Romano Pontifice, ut hodie conferuntur virtute regulæ Cancellariæ, quam exponit Gonzalez *Gloss. s. ad Regul. 8.*

e *Stallum.* ] De stallis egi in *cap. 2. de remun. ciat.*

f *Lateran. Concilium.* ] Relatum in *cap. 2. de concess. præbend.*

g *Admissus.* ] Qui tam homicida, quam perjurus privantur beneficiis jam obtentis, ut probavi in *cap. 2. de rescript.*

h *Legitimus accusator.* ] Quinam ille sit, exposui in *cap. 1. hoc tit.*

i *Proposita.* ] Quia in præfenti G. agebar remedio adipiscendæ possessionis; unde hujusmodi exceptiones admittuntur, quia infamatus de eis delictis dicebatur, *cap. constitutus, de appell.*

## CAPUT XXIV.

## Idem in Concilio à Generali.

Qualiter, & quando debeat Prælati procedere ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus veteris, & novi Testamenti colligitur evidenter, ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones, sicut olim aperte <sup>b</sup> distinximus, & nunc sacri approbatione Concilii confirmamus. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud Dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris amplius villicare. Et in Genesi Dominus ait: Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Ex quibus auctoritatibus manifestè probatur, quod non solum cum subditis, verum etiam cum Prælati excedit, si per clamorem, & famam ad aures superioris pervenerit, non quidem <sup>a</sup> malevolis, & maledicis, sed à providis & honestis, non semel tantum, sed sæpe, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ecclesiæ <sup>d</sup> senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tanquam idem sit accusator & iudex, sed quasi denunciantes famam, vel deferente clamore officii sui debitum exequatur. Licet autem hoc sit observandum in subditis, diligentius tamen est observandum in Prælati, qui quasi signum sunt positi ad sagittam: & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare; quin etiam interdum suspendere, nonnunquam verò ligare, frequenter odium multorum incurunt, & insidias patiuntur. Et ideo sancti Patres providè statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis, corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ, sed etiam malignæ criminationi janua præcludatur. Verum ita voluerunt providere Prælati, ne criminerentur injustè, ut tamen caverent, ne delinquerent insolenter, contra morbum utrumque inveniunt medicinam congruam, videlicet ut criminalis accusatio, quæ ad diminutionem capitis, id est degradationem, intenditur, nisi legitima præcedat inscri-

in scriptio, nullatenus admittatur. Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ut jam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum, & puniendum ejus excessus, non ex odii fomite, sed charitatis procedatur affectu: quatenus si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoveatur omnino: quod est secundum sententiam evangelicam à villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suae dignam reddere rationem. Debet igitur esse praesens, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit: & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (ut quid, & à quo sit dictum, appareat) publicanda, nec non exceptiones & replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionem verò exclusionem, deponendi falsum audacia praebatur. Ad corrigendos itaque subditorum excessus, tanto diligentius debet Praelatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas. Contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denunciationem, & inquisitionem ipsorum: ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave dispendium veniatur, sicut accusationem legitima debet praecedere in scriptio, sic & denunciationem; charitativa monitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio praevenerit: illo semper adhibito moderamine, ut juxta formam judicii sententiae quoque forma dicitur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum; quae (cum causa requirit) facilius, & libentius à suis possunt administrationibus amoveri.

## NOTÆ.

1. **a Generali.** ] Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. cap. 8. ubi reperitur textus hic, & in quarta collectione, sub hoc titulo. cap. 4. De hoc Concilio nonnulla notavi in cap. 1. de Summa Trinitatis.
2. **b Dissimulimus.** ] In cap. qualiter, hoc est. ubi extant priora verba hujus textus usque ad §. Debet.
3. **c Malevolis.** ] Quae diffamatio debet esse apud probos & honestos viros, cap. cum inter 12. de purgat. canonic. Nectunc obstat textus in cap. cum in juventute 15. de presump. ubi etsi constat diffamationem Episcopi à malevolis, & improbis hominibus initium habuisse, adhuc ad inquisitionem contra ipsum processum fuit; quia distinguendum est cum Henrico Boic. ibi, & Abbate num. 2. inter inquisitionem, quae fit ad punitionem delicti, ad quam procedi non potest, si diffamatio ab improbis hominibus originem duxit; & inter eam, quae fit ut constet, an ipsa diffamatio à malevolis orta fuerit: hæc secunda omni casu fieri potest; prima verò non nisi praecedente diffamatione apud probos viros.
3. **d Senioribus.** ] quamvis potestas inquirendi, corrigendi, & puniendi subditorum excessus primò & principaliter ad Episcopos spectet, illam tamen de jure antiquo soli per se exercere non poterant, sed infirmul seniorum, sive clericorum suorum debent consensus, seu consilium adhibere: quod primùm statutum legitur in Concil. Carth. 4. can. 23. ibi: Ut Episcopus nullius causam audiat absque presentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum presentia confirmetur. Quem retulit Gratianus in cap. Episcopus 15. quast. 7. quod rectè statuerunt PP. ne quis fortè dum ab uno judicaretur, non auctoritate canonica, sed potius tyrannica potestate indiscussus opprimeretur: quam rationem expressit Concil. Hispal. 2. can. 6. in illis verbis: Ut jux-

ta priscorum PP. Synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilii examine quemlibet Presbyterum, vel Diaconum de jure audeat; nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica damnant. Extat in cap. 15. quast. 7. Quid autem per illa verba, absque presentia suorum clericorum, in Concil. Carthag. significetur, exponendum est. Duarenus lib. 1. de sacris, cap. 12. existimavit, clericorum nomine Episcopos comprehendere, qui Synodi causam quotannis convocabantur, juxta tradita supra in cap. sicut olim. Sed verius credo, per illa verba Capitulum, seu Canonicos ipsius Ecclesiae significari: quod mihi probat D. Hieronymus ad Rusticum, cujus fragmentum extat in cap. Ecclesiast. 16. quast. 1. ubi de Capitulo, seu Canonicis agens, presbyteros suos vocat, quemadmodum & Concilium Carthaginense clericos suos. Verba Hieronymi sunt: Ecclesia habet Senatum, eorum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet. Roboan filius Salomonis idè perdidit Regnum, quia noluit audire presbyteros suos. Senatum quoque Romani habebant, cujus consilio cuncta agebantur: & nos habemus Senatum nostrum, eorum presbyterorum. Hoc etiam Concilium Carthag. statutum firmarunt subsequentes Pontifices. D. Gregorius scribens Joanni Episcopo Panormit. lib. 11. epist. 49. cujus fragmentum extat in cap. si quis verò, 86. dist. & postea repetitum in cap. si quid verò 15, q. 7. ibi: Si quid verò de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juste possit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res ascendat incognita, sed presentibus senioribus Ecclesiae suae est veritas perscrutanda; & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica distinctio culpam feriat delinquentis. Ubi quid significant illa verba, presentibus senioribus, non constat apud Interpretes. Glossa verbo Ecclesia, in dist. cap. si quod, existimavit, seniorum nomine in eo textu Episcopos suffraganeos significari, idè quia epistola illa missa est Joanni Panormit. Praesuli, qui Archiepiscopus erat Corinthiorum, & ita suffraganeos



sub se habebat. Glossam sequitur Turriscremata ibi, §. dicitur. Aliter ea verba accipit Duarenus lib. 1. de sacris Ecclesiis, cap. 7. scilicet de presbyteris propria Ecclesie, seu de Capitulo. Quasi dicat Gregorius, non posse Episcopum sine capituli consensu procedere ad inquisitionem, sive vindictam criminis in Clerico. Quam explicationem magis probasse videtur Innocentius III. in presenti, & in cap. Licet, de Simonia, in illis verbis: *Sed coram Ecclesia senioribus diligenter est veritas perscrutanda.* Ubi dum iisdem verbis Gregorii utitur Innocentius, verba illa senioribus, de presbyteris intelligit, non de Episcopis. Ego utramque expositionem admitto pro temporum varietate, & juxta seculum Gregorii primam veriorum credo, namque seniorum nomine non tantum Episcopi, verum & presbyteri significatur, quia ut inquit D. Isidorus relatus in cap. clericos, §. presbyteros, Græcè presbyter, Latine senior interpretatur: unde D. Gregorius non tam de capitulo accipiendus est, quam de Concilio, quod quotannis Episcopi celebrant; nam cum loquatur de Clerico damnando, ut constat ex illis verbis, *de quocunque Clerico*; necessario accipiendus est de Concilio, siquidem eo tempore Clerici non à propriis Episcopis, & Capitulo damnabantur, sed potius in Concilio Episcoporum, ut constat ex Concilio Hispalensi 1. can. 6. ibi: *Sexta à altione comperimus, Fragitanum Cordubensis Ecclesia presbyterum injustè olim à Pontifice suo dejectum.* Et infra: *Decrevimus, ut juxta prescorum Patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilii examine quemlibet Presbyterum, vel Diaconum deinceps audeat.* Concil. Carthag. 2. can. 10. Carthag. 3.

can. 8. & si corrigendus erat Abbas, certum Abbatum numerum Episcopus adhibere debebat, cap. si quis Abbas 18. q. 2. c. in ordinatione 61. dist. sed postquam modus ille cognoscendi de Clericis in Concilio invaluit, presentia verba, *de senioribus Ecclesia*, accipienda sunt de Canonicis ipsius Capituli, ut in dist. cap. Heli, de Simonia.

e Is, contra quem.] Consonat textus in cap. absente 8. 3. quest. 9. cap. 2. 8. quest. 9. cap. 4. 3. q. 9. & alii congesti ab Anton. Augustin. lib. 3. epit. jur. tit. 17. Consonat lex 12. tit. 15. partii. 3. illustrat Parexa de instrum. edit. tit. 2. fol. 90.

f Consumaciã.] Quia tunc etiam absens damnari potest, can. 74. Apostol. cap. 4. de præsumpt. Felix Papa II. in Synodo Romana epist. 1. ca. 8. ibi: *Nec à communionem prohibeatur accusatus, nisi ad electorum judicium canonicè convocatus, infra tres, aut sex, vel plures menses pro suis rationem redditurus venire distulerit.* Refert Anton. August. in epit. lib. 30. tit. 18.

g Publicanda.] Cap. inquisitionis officium, hoc tit. nec est cur hæc verba tantum exaudiamus de Episcopo, de cujus vita inquiritur, ut voluit Cujac lib. 22. obs. cap. 25. nam in quolibet privato, contra quem proceditur per inquisitionem, idem observatur, dist. cap. inquisitioni, hoc tit. ubi notavi verbo Nomina.

h Inscriptio.] Juxta tradita in cap. super his, hoc tit.

i Charitativa monitio.] Ut probavi in cap. 4. hoc tit.

k Clamosa insinuatio.] Id est diffamatio, juxta tradita in cap. inquisitionis, hoc tit.

## C A P U T XXV.

Idem in Concil. Later.

Sicut olim à sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitanis singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare, in quibus de corrigendis excessibus, ac moribus reformandis, præsertim in Clero, diligenter habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, maxime quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio, relegendes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo. Ut autem id valeat efficacius adimpleri, per singulas dioceses statuatur personas idoneas, providas videlicet, & honestas, quæ per totum annum simpliciter, & de plano, absque ulla jurisdictione sollicitè investigent quæ correctione, vel reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & Suffraganeos, & alios in Concilio subsequenti, ut super his, & aliis (prout utilitati, & honestati congruerit) provida deliberatione procedant, & quæ statuerint, faciant observari, publicatur ea in Episcopalis Synodis annuatim per singulas dioceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, à sui executione officii suspendatur.

## NOTÆ.

- i. a [Dem.] Concil. videlicet Generali Lateranensi, celebrato sub Innocentio III. ubi repertiuntur verba hujus textus in cap. 6. & etiam extant in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 5.
- b Reformandis.] In his etiam Conciliis Provincialibus olim de causis Episcoporum, & eorum excessibus agebatur, ut latè probat Petrus Marcha in concord. Sacerd. & Imperii, lib. 7. ferè per totum, & notavi in cap. 1. de judiciis: & querela,

atque accusationes contra Ecclesiasticos Judices, ac posteriores laicos audiebantur. Leo I. epist. 82. ad Anastasium, relatus in cap. de Conciliis 18. dist. Concil. Tolet. 4. can. 3. ibi: *Omnes autem, qui causas adversus Episcopos, ac potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrant, ut quacunque examine synodali à quibuslibet pravè usurpata inveniuntur, Regis executoris instante, iustissime his, quibus jura sunt reformentur.* Graviore autem quæstiones, veluti de fide, Sacramentis, & similes, in eis Conciliis tractari nequeant.

nequeunt absque Romani Pontificis auctoritate, vel ejus Legati presentia, cap. Concilia 9. 17. distin. probant latè Thomafius de Concil. provinc. P. Marcha lib. 6. concord. Sacerd. & Imp. cap. 13.

c. Relegentes. ] Consonat Concil. Tolet. 4. in Decret. de reform. Concil. ibi: Diaconus albâ indutus Codicem canonum in medium proferens, capitula de agendis Conciliis pronunciet. Brachar. 1. Relecti canones veterum, qui ad instructionem clericalis disciplina pertinent. Mogunt. sub Rabano: In una turba resederunt Episcopi cum quibusdam notariis, legentes, atque persecrantes sanctum Evangelium, nec non epistolas, & actus Apostolorum, canones quoque ac diversa Sanctorum Patrum opuscula. Utrita facilius observentur, & contraria consuetudo, seu prescriptio contra eos intendi non possit. Et quia per iteratam lectionem legum facilius ipsæ percipiuntur, & memoriâ retinentur. Unde in Concilio Matifcon. 1. can. 9. cavetur, ut durante jejuniis S. Martini legantur Canones, quibus leges de disciplina fanciuntur: & in Concil. Cabilio. sub Leone III. c. 37. ita statuitur: Cum omnia Concilia canonum, que recipiuntur sint à sacerdotibus legenda, & intelligenda, ac per ea sit eis vivendum, & predicandum, necessarium duximus, ut ea que ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis, ac plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis retro legatur, ac bene intelligatur. Inde in Monasteriis sæpe sæpius legitur Regula, sub qua Monachi degunt, juxta Concil. Aquisgran. can. 123. Quotidie ad collationem veniant, unde & hanc instructionem, & aliarum scripturarum sanctarum perlegant. A. S. Augustinus in sua Regula, cap. ult. iussit, ne quid per oblivionem negligatur, semel in septimana legatur, faciunt textus in cap. 1. de locato, cap. quoniam, 40 de Simon.

d. Personas. ] Testes synodales exponit Glossa in presentia, nec malè, de quibus, & eorum officio egi in cap. prererea, de testibus. cog. Etiam pro his personis intelligi possunt visitatores, de quibus D. Gregorius lib. 3. epist. 2. ad Maximian. Syracul. Episcopum agit his verbis: Visitatores Ecclesiarum, Clericis quoque eorum, qui cum ipsis per non sua Civitates parochias fatigantur, aliquod laboris sui capiant, se disponente subsidium Joannes II R. Pontifex epist. 3. ad Episcopos Gallia. In Ecclesia Orientali dicuntur Periodeutæ, seu circuitores, Synod. Laodic. relata in cap. non de his, 80. distinct. in cuius scholiis ait Ballamon: Præsens canon jubet fieri Periodeutas, & non Episcopos, ne dignitas Episcopi visis, & contempta ebadat. Sunt autem Periodeuta quibodie ab Episcopis promoventur ex archi. Hi enim circumcurfant, & delicta spiritalia observant, & fideles perficiunt. Illi subseripserunt Zonaras & Justel. in eo canone, Heraldus lib. 2. de auctor. rei judic. cap. 15.

## COMMENTARIUM.

4. Concil. provin. ] EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: Singulis annis est celebrandum Concilium Provinciale pro moribus, & excessibus corrigendis. Probant eam textus in can. 38. Apostol. c. habeatur, c. servetur, & ferè per totam 18. dist. c. perveni 18. dist. c. placuit de consecr. dist. 3. Anaclel. I. epist. 1. Concil. Nicæn. 1. can. 5. ibi: Placuit autem annis singulis per unamquamque Provinciam bis anno Concilia celebrari, ut communiter simul omnibus Episcopis congregatis Provincia, discutiantur hujusmodi quæstiones. Antioch. 1. sub Jul. can. 26. Car-

thag. 3. can. 2. Hipponense can. 8. Rhegiense can. 7. Agathense can. 1. & 71. Aurel. 3. can. 1. ibi: Unusquisque Metropolitanus in Provincia sua cum provincialibus suis singulis annis synodale debeat opportuno tempore habere Concilium. Aurel. 4. can. 37. Aurel. 5. can. 18 & 22. Turon. 2. can. 10. Tolet. 3. can. 18. Tolet. 4. can. 3. Tolet. 11. can. 15. Tolet. 12. can. 12. Synodus 6. Constantin. can. 8. Synodus 8. can. 4. Paris. 3. lib. 1. cap. 26. Lateran. sub Leone X. sess. 10. Rasilbon. can. 26. Arausic. 1. can. 29. Divus Gregorius lib. 2. epist. 110. ibi: Et quidem, quia de habendo bis in anno Concilio Patrum sit regulis statutum, non latet: sed ne aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel saltem sine excusatione aliqua decrevimus congregari, ut expectatione Concilii nihil pravum, nihil presumatur illicitum. Meldense anno 845. can. 2. Ut Principes juxta decreta canonum per singulas Provincias saltem bis, aut semel in anno à Metropolitanis, & Diocesanis Episcopis synodice convenire concedant. Synodus Trull. can. 8. Nicæna 2. can. 6. Trid. sess. 24. de reform. c. 2. Palent. anno 1322. can. 1. Vi Metropolitanum suffraganeis suis annis singulis provincialia celebrare Concilia non omittant. Tolet. anni 1473. can. 1. Canonum institutis sanctum novimus ab antiquo per Metropolitanos Antistes cum suis suffraganeis provinciali Concilia debere celebrari. Tullenfe part. ult. c. 7. Sueffionense sub Pipino: Nouel. 123. Justin. alia juris testimonia congestit Crespetius in summa, verbo Concilium. Illustrant. Ant. Augustin. lib. 5. tit. 30. Petrus Marcha in concord. Sacerd. & Imper. lib. 6. c. 13. Vighel in method. juris Pontif. fol. 497. Thomafius de Concil. Provinc. fol. 79. Paulus Idumay in nois ad Innoc. III. lib. 2. de epist. 45. Coriolan. in can. 38. Apost. Lantdmeter. lib. 12. de veteri Cler. c. 104. Ballamon in can. 71. Synod. Carthag. Justelus in can. 8. Ecclesia Afric. Vinar. in Marc. Max. anno 531. Cuiac. in cap. grave, de præb. Cresfolius lib. 3. mystag. c. 40. Duarenus lib. 1. de sacris Eccles. cap. 11. Moneta de commut. cap. 5. num. 16. Cironius ad tit. de his que sunt à Prelat. I. Dattis ad Decret. dist. 15. Cellotius de hier. arch. lib. 5. cap. 11. §. univ. Hallierius eod. tract. fol. 484. Bellarm. tom. 2. controvers. lib. 1. cap. 4. Azor. 2. tom. institut. lib. 5. cap. 18. Turrianus lib. 1. pro canonib. c. 10. Befoldus tom. 1. pol. de maieft. cap. 5. Ant. Perez in Pentar. fides, cap. 6 de Concilio Solorz anus tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 7. num. 39. Altesfera hic.

Sed pro dubitandi ratione in presentem assertionem ita insurgo. Non solum injusta, verum & superflua videtur presentis constitutio. Injusta ex eo, nam Metropolitanus non potest de causis subditorum suffraganeorum primò in prima instantia cognoscere, aut in eos propter excessus commissos animadvertere, cap. pastoralis, ubi probavi, de offic. Ordin. ergo nec in Concil. Provinciali singulis annis celebrando potest de eisdem causis cognoscere. Superflua etiam apparet presentis constitutio ex eo, quia Episcopi tenentur quotannis Diocesim propriam visitare, cap. cum Apostolus, ubi probavi, de censibus; & Archiepiscopus etiam quotannis, vel quoties potuerit, cap. cum Romana, eod. titul. 6. Igitur cum tunc possint tam Episcopi, quam Metropolitanus excessus corrigere, & mores reformare, frustra consideratur, ut quotannis omnes Episcopi unius Provincie cum suo Metropolitanus conveniant ad eisdem excessus corrigendos cum magno ovium dispendio, propter Pastorum absentiam, nec non

5. Impugnatur tradita assertio.

non ipsorum Prælatorum incommodo & expensis.

6. Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præter asertio, pro cuius expositione scire oportet, Concilium præter etymologiam D. Isidori in *cap. canones, s. Synodus, 15. dist.* dici à concalando, id est convocando, ut inquit Festus Pomp. juxta illud Virgilii.

*Conciliumque vocat Divum Pater atque hominum Rex.*

Illustrant Polletus *lib. 5. hist. cap. 13.* Beyerlinch in *theatr. vita hum. tom. 2. verbo Concilium.* Non est quævis populi, aut Patrum Congregatio, sed ea dumtaxat, quæ à Magistratu, vel Sacerdote per publicum ministrum legitime fit. Sunt qui morem indicendi & celebrandi Concilia repetant à Romanis, qui tam Romæ, quam in Provinciis hyemis tempore, quo militiam exercere nequebant, juridicando vacabant, locum, & tempus designantes ad lites decidendas, & causas peragendas: hoc erat apud illos conventus agere, ut probant Festus Pompeius, & Theophil. in *s. eadem, Instit. ex quibus caus. major.* ibi: *Concilium est confessus certorum virorum, statis annis, & diebus coeuntium.* Hinc dicitur Concilium in *l. 1. Cod. de vind. liberr.* Illustrat Georg. Amb. ad *Terent. de jejuniis. c. 13. obs. 5.* Hæc Conciliorum origo placuit nonnullis: sed ceterè Concilia nostra altiore originem præferunt; siquidem eorum sacrum usum legitimus obumbratum *Deuteron. cap. 17* in illis verbis: *Si difficile, & ambiguum, &c.* à Christo Domino indicatum in calu relato *Matthæi cap. 6. Marc. 8. Luca 9.* ibi: *Venit Iesus in partes, &c.* ut notavit Baronius *tom. 1. anno 35. num. 11.* & commendatum apud *Matthæum cap. 18.* ibi: *Si duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, &c.* quæ verba de Conciliis esse accipienda de re vit. Synodus Chalced. in *epist. ad Ioannem*, & docuit Innoc. Papa in *cap. de quibus, 20. dist.* Illustrant Fr. Ant. Perez in *Pent. fidei, tract. de Concil. cap. 1. Carrier. tom. 2. digest. fidei, tit. 36. de Concil.* Conrad. Kling. *lib. 3. disp. cap. 23.* Cabassutius in *not. Concil. Christ. Lupus ad can. Concil. Nicæn.* Deinde sciendum est, quatuor esse Conciliorum genera. Primum est Conciliorum generalium, cum Concilium totius orbis, ex omnibus videlicet Provinciis, & Diocesisibus, tam Orientis, quam Occidentis celebratur, quod idè dicitur græcè œcumenicum ab œcumine, quod significat universum terrarum orbem: quo etiam nomine R. Imper. apud Græcos, Latinosque Scriptores significari planum est. Sic Sanctus Lucas de descriptione Imp. Rom. ab Augusto imperata loquens ait: *Prodiit edictum à Cesare Augusto, ut describeretur universus Orbis.* Illustrat Justel. in *notis ad canones Eccles. Afric. can. 85.* Oecumenicæ autem Synodi, non nisi ex gravissimis hæresibus, quæ maximam partem pervalerint, convocantur, & tantum auctoritate Rom. Pontificis. Roussel. *lib. 3. histor. jurisdict. Pontif. capit. 2. & 3.* pluribus relatis Valenzula *contra Venetos part. 6. ex numero primo*, de quorum auctoritate, necessitate, & infallibilitate, latè agunt Coriolanus in *summa Concil. in præludiis*, Jacobatius de *Conciliis*, Bellarminus *lib. 1. contro. integr. tra. de Conciliis*, Joannes Dartis in *13. dist.* ubi refert omnia Concilia generalia hucusque in Ecclesia celebrata. Et an Concilium generale sit supra Pontificem, exposui in *cap. 4. de elect. Secundum* genus est Conciliorum, quæ vel Primate, vel Patriarchæ convocantur ex Metropolitanis, quod na-

tionale dici potest, ex omnibus Provinciis unius nationis, seu Regni. Illud Concilium majorem Synodum Episcoporum dixerunt Patres Synodi Antioch. *can. 91.* ibi: *Majorem Synodum Episcoporum.* Constantinop. *1. can. 169.* ibi: *Majorem Synodum Episcoporum uniuscujusque Diocesis.* Turonensis celebrata anno 567. In Matifcon. *in can. 9. & 20.* dicitur generale Concilium, & universale. Dicitur & Synodus plenaria in *Concil. Carth. 3. can. 38* & Possidonius in *vita Sancti Augustini, c. 8.* Hippo. tenet Concilium, plenarium totius Africae appellat. Hujus generis plurima reperiuntur Concilia in tomis Conciliorum, ex Diocesisibus, seu nationibus celebrata, veluti Antiochenia ex Diocesis Orientis; Romana ex Diocesis urbis Romæ; Aquileiensia ex Diocesis Italia; Gallicana ex Diocesis Galliarum; Toletana ex Diocesis Hispaniarum; Africana, seu Carthageniensia ex Diocesis Africae. Ea notione Concilium universale pro Synodo Diocesis Galliarum accipitur in *canone 20. Concil. Matifcon. 2. sub Patriarcha Lugdunensi celebrati. P. Marcha lib. 6. concord. cap. 21.* Simili loquutione Concilia Toletana universalia, & generalia vocantur. *Concil. Tolet. 3. can. 13.* ibi *Præcipi hæc sancta, & universalis Synodus Tolet. 4. in exordio: Quoniam Concilium generale agemus: & can. 3. Si fides causa est, aut quælibet alia Ecclesia communis, generalis totius Hispania, & Galicia Synodus convocetur: si verò nec de fide, nec de communi Ecclesia militate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque Provincia, ubi Metropolitanus elegerit, peragendum.* Et *Tollet. 5. can. 2. 3. & 6. Tol. 4. & Universalis Synodus nominatur in can. 7. ibi: Ut in omni Concilio Episcoporum Hispania universalis Concilii decretum, quod propter Principum nostrorum salutem est consuetum, in Synodo publicâ voce debeat pronuciari.* Leo I. R. P. *epist. 93. ad Turibium Episcopum Asturicensis, c. 17.* *Habetur ergo apud vos Episcopale Concilium, ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum Provinciarum convenienti sacerdotibus. Et paulò post: Dedimus literas ad fratres, & Coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthagenenses, Lusitanos, atque Gallacos, eis que Concilium Synodi generalis indicimus. Si autem aliquid obstitit, quominus possit celebrari Generale Concilium Gallicia, saltem in unum convenienti sacerdotes, quocumque vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur.* Notarunt Felefacus in *c. irrefragabilis 13. §. 1. de off. ordin. Justel. in c. 85. Eccles. Afric.*

Tertium Concilium Provinciale est, quod à Metropolitanis ex Episcopis suæ Provinciae congregatur ad utilitatem Provinciae, ad causas Episcoporum dirimendas; & dicitur perfecta Synodus in *Concil. Antioch. can. 16. & 17.* ibi: *Sui autem illa perfecta Synodus, cui quoque una adest Metropolitanus.* Integrum Concilium vocatur in eadem Synodo, *can. 16.* apud Burchardum *lib. 1. cap. 39.* Synodus plenaria dicitur ab Innoc. I. Pontificale Concilium à Sidonio *lib. 4. epist. 24.* ubi notavit Sauarus. Quæ Concilia provincialia dicuntur celebrari cum Episcopis ab Hincmaro Rhemenli in *commonit. ad Ludovicum Germaniam Regem, cap. 7.* ibi: *Prætempore à sacris Regulis constituitur com-provinciales Synodos cum Episcopis, & speciales cum presbyteris.* Concilii Provincialis origo repetenda est à temporibus Apostolorum; nam in ipsorum actis legitur Paulum Mileum convocasse omnes Ephesinæ Provinciae majores natu: ubi Waldensis *lib. 2. doctrina fidei, art. 2. quæst. 27.* formam Concilii

Concilii provincialis inesse arbitrat, & majores natu fuisse Episcopos, ex Trident. *sess. 23. cap. 4.* probat Cellotius *lib. 4. de Ecclesiast. hierarch. c. 11.* Ultima Synodus est diocesana, id est proprii Episcopi, quæ appellatur Synodus Episcopalis in *c. 2. 38. distinct.* Episcopi Concilium, in Concilio Vernensis *can. 8.* Diocesis Synodus in *l. 13. Cod. Theodos. de Episc. & Cleric. ibi: Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis observandus est, ut si qua sint, ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinencia, locis suis & sua diocesis Synodus audiantur.* Ad quod venire tenentur Abbates. Concil. Altiifiod. *can. 7.* & Monachi, qui Ecclesias Parochiales regunt. Synodus Mogunt. sub Rabano *can. 14.* Dicitur etiam specialis Synodus cum prebiteris habita ab Hinemaro *dist. cap. 7.* Appellatur & civile Concilium ab Hadriano Papa *epist. 13.* quam nomenclaturam illustrat Dartis in *dist. 15. dist. pag. 52.* originem Synodi diocesanae repetit à Sancto Jacobo Cellotius *dist. lib. 4. c. 6.* Celebrabatur olim singulis annis ante dies Quatragessimæ, *cap. habeatur 3. dist. 18.* Illustrat Juretus in *notis ad epist. 61. Ivois.*

8. Sed ut ad Concilium Provinciale, de quo in presenti agitur, disputationem contrahamus, sciendum est, bis in anno celebrandum esse, ex præcepto Apostolorum relato in *can. 38. ibi: Bis in Anno Episcoporum Concilia celebrantur, & inter se invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contempiones amoveant, semel quidem septimana quarta Pentecostes: secundo vero 12. die mensis Hyperbeticæ quem Octobrem dicimus.* A Dionysio verò, Burchardo, & Ivone dum referret canon hic, dicitur Idibus Octobris, ut noverant Romani correctores in *can. 4. dist. 18.* ubi mōnent, non convenire Latinorum menses cum Græcis nam Idus Octobris sunt die 15 non 12. Alciatus *lib. 1. Parerg. cap. 47.* Eandem sanctionem firmarunt Synodus Antioch. *can. 20.* ubi ait: *Recte haberi, quod in singulis Provinciis bis quoquo annis Concilia habeantur.* Nicæna *can. 5.* *Pisum est bene habere, ut bis per unamquamque Provinciam singulis annis Concil. habeatur.* Ubi refertur, & approbatur usus hic celebrandi Concilia; non autem no viter statuitur, cum ex traditione Apostolorum jus hic invaluisset. Facit Tertul. *lib. de jejuniis, ibi Aguntur præcepta per Græcos illas certis in locis Concilia.* Quem contra Magdeburgenses rectè expendit Turrianus *lib. 1. pro canonibus Apost. c. 10.* Leo Magnus in *c. de Conciliis, 18. dist.* Patres Concilii Antioch. in *cap. 14. 18. dist.* Chalcedon. *can. 19. in cap. 6. ead. dist.* Regienis *can. 8.* Vernensis *can. 4.* Sed postea id mutari cœpit ex justis causis in diversis Provinciis: in Ecclesia Orientali, canone 8. Synodi Trullane ita cautum fuit: *Quoniam autè propter aliquas barbarorum incursiones, & quasdam alias incidentes causas non possunt, qui Ecclesiis president, Synodos bis in anno facere, visum est us omnino semel in anno fieri.* Quod firmatum fuit in septima Synodo relata in *can. 7. dist. 18.* & Hilarius Papa Episcopis Gallia scribens, *epistol. 8.* ait: *Per Annos singulos ex Provinciis, quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Concilium.* Firmarunt etiam D. Gregorius *lib. 7. epist. 112.* Hormisdas *I. epist. 4. ad Episcopos Hispania,* ubi *cap. 3.* ita scribit: *Si verò temporum necessitates, aut emergentes causa hoc non patiantur impleri, semel saltem, quamvis non licuerit, sine ulla excusatione præcipimus convenire.* Idem cautum fuit in

Concilio Sueffion. *can. 2.* Tolet. *3. can. 18.* Turon. *2. can. 1.* Postquam autem præscriptum fuit, ut semel in anno celebrarentur Concilia Provincialia, tempus eorum definitum fuit à Paschatis festo usque ad finem Octobris, ut legitur in *dist. can. 8. Synodi Trull.* Tandem Concilium Matiscon. *2. can. 20.* Later. sub Leone *sess. 10.* & Trident. *sess. 24. de reformatione, cap. 1.* tempus hoc ad triennium protractum fuit: & quia jam à tempore Concilii Calcedonensis Concilia provincialia celebrari desierant, ex causis, quas refert P. Mar ha *disto capite 1.* idè præsentis Canone Concilii Lateranensis eorum usus restituitur. Convocabantur autem ad has Synodos Episcopi per Epistolas Metropolitanæ. Concil. Agathense *cap. 35. cap. 1.* & per tot. *dist. 13. cap. si Episcopus, 27. dist.* Quaranta in Summa, verbo Archiep. & Concil. Provinciale. Undè dicuntur vocari in Concilio Laodic. *c. 40.* & refertur *can. 5. dist. 18.* & commoneri, *can. 14. ead. dist. 18.* & *can. 20. Concilii Antiocheni:* & refertur *d. can. 4. dist. 18.* monebantur autem per epistolas, quæ dicebantur tractoriæ. D. Augustin. *epist. 15.* *Tractoria ad me denno idibus Novembris venit.* Et deinceps, ubi vocat epistolam tractoriam: & in libro post collationem contra Donatist. *cap. 24.* *A Primatè suo per tractoriam sunt evocari.* Et Constantinus epistolâ, quâ scribit, ut Cæcilianus, & accusatores ejus ad Concilium Arelatense primo pergant, & convenient, mandat Ablauio, ut singulis Episcopis singulas tractorias tribuat, ut ipsi ad supradictum locum intrâ diem Calendarum Augustarum possint pervenire: & tractoriæ erant sigillo roboratæ, & dabant auctoritatem conveniendi ministros Reipublicæ, vel Ecclesiæ, ut ab eis auxilium, vel victum peterent, quod colligitur ex Synodo Meldensi *cap. 71.* *Præ auctoritatem sigillo Regio roboratam more tractoriæ Christianissimus Princeps singulis daret Episcopis, quam quisque Episcoporum penes se haberet, ut quando ei necesse fuerit, per eandem auctoritatem Reipublicæ ministros conveniat, ut ipsi in quibuscumque civili indigerint auditorio, Reipublicæ Ministris concurrentibus, summo possint divinum rite peragere ministerium De quibus tractoriis egi in cap. 1. de officio Ordin. Et Episcopi ita vocati venire tenentur, aut Legatum mittere, cap. 9. 18. dist. Concil. Arelatense 2. canon. 18. Agathense *can. 35.* Tarracon. *canon. 13.* Aurelian. *can. 2.* Vafion. *can. 29.* quæ & alia concessit Hallier. *de hierarch. lib. 4. art. 1. in fine:* & hoc est, quod in *cap. 10. dist. 18.* dicitur excusationes suas literatorie conscribere. Ita enim legendum est, non tractoriæ, ut notavit Dartis in *d. 15. dist.* aliàs excommunicantur, *cap. 12. 13. & 14. dist. 18.* Vocantur etiam Parochi, & Abbates, *cap. Hadrianus, el. 2. 63. dist. cap. ex ore, de privileg.* Concil. Altiifiod. *dist. cap. 7.* & privati laici, ut retuli in Concil. Illiberit. *lib. 1. cap. 8.* ubi de forma celebrandi Concilii, & ordine subtribendi in eo egi. Tandem sciendum est, Concilia provincialia in Ecclesia celebrari, primo ad extirpandas hæreses pullulantes; secundo ad Ecclesiasticorum Canonum conservationem. Undè Concilia hæc de Genilium tyrannide triumpharunt Ecclesiasticam disciplinam stabiliendo, ut constat ex Conciliis Illiberit. Neocæsar Laodic. & similibus. Olim etiam de Episcoporum electione & consecratione, si qua erat Ecclesia vacans, agebatur. & de excessibus Episcoporum cognoscebatur, quia vetitum erat ab Hadriano *cap. 5.* ne ullus Metropolitanus Episcopus absque cæterorum omnium*

omnium Comprovincialium Episcoporum presentia eorum causas audiret: notavi in c. 1. de iudiciis: & ea Concilia confirmabantur per Pontificem, vel tacite, vel expressè, cap. de libellis. 15. dist. ut variis exemplis probat Cellotius d. c. 11. ad finem.

9. Traditur de cidendi ratio.

His suppositis apparet ratio presentis assertio- nis; nam cum Concilia Provincialia jam à temporibus Apostolorum in Ecclesia usitata negligere- rentur, & raro, aut nunquam Metropolitanus in vita sua Concilium Provinciale celebraret; & ideo veteres Ecclesiæ sanctiones à Concilio Lateran. in presentem renovantes rectè sanxerunt, quot- annis esse Concilium provinciale à Metropolita- no celebrandum juxta veteres canones. Accedunt rationes ob quas Concilia hæc ita frequenter ce- lebrari debent, quas refert Baronius Anno 257. num. 12. Prima, ut agnoscat, quomodo Episcopi in suo munere exercendo se gerant, & suæ villicationis rationem reddant, ut exprimitur in Concil. Trident. sess. 23. de reform. cap. 5. & defectus emendentur, prout innuitur in cap. quapropter, dist. 13. & sess. 24. de reform. cap. 18. ubi præcipitur, ut defectus in Conciliis Provincialibus proponantur. Secundò ut decreta Pontificia relegantur, ne oblivione transgredi possint, ut notavi supra, verbo relegentes. Tertia quia hæreses facile pullulant si Concilia non celebrentur: præcipua enim causa, quare in Anglia, Scotia, Belgio, & aliis nationibus hæc maxima pestis serpsit, fuit, quia Metropolitanus ab his Conciliis ineundis cessare, prout deplorat Anastasius Constantinop. episc. 2. his verbis: *Si assidue ea celebrentur, reformationem Ecclesia cansabunt, & hæreses extirpabuntur; ipsa autem continue celebrata nascentes hæreses statim, & breviter extirpabunt: quæ si per aliquod tempus dissimulantur, sumptis viribus difficile destruentur.* Concilia ergo provin- cialia sunt sæpe congreganda, ut necessitatibus Ecclesiæ subveniatur, nec non mores pravi corri-

gantur: nam ut ait Victorius in relect. de potestate Papa, ab eo tempore, quo propter novas opinio- nes DD. Pontifices cœperunt timere Concilia, Ecclesia manet, & manebit cum magna calamitate, & Religionis pernicie. Utilitatem, & neces- sitatem Concilii Provincialis satis expresserunt PP. Concilii Paris. 1. can. 26. his verbis: *Quoniam si hæc Concilia semel in anno per unamquamque provin- ciam celebrata fuerint, & honos Ecclesiasticus vi- res ordinis sui continebit, & impudenciam quorun- dam superbiorum Clericorum, qui passim auctoritate canonica calcata, auribus Imperialibus mole- stiam ingerunt, cessabit, & impunitas diversorum flagitiorum, quæ locum delitecendi nunc habet, non habebit, & alia multa, quæ hætenus secus quàm Ec- clesiastica disciplina docet, incessarunt, ordinem suum Domino auxiliante servabunt.* Prosequitur alias rationes Coriolanus in notis ad can. 38. Apost.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam ex hucusque traditis facile apparet, in justam non esse presentem Concilii Lateran. constitutionem; nam si Archiepiscopus dum visitat provinciam suam, potest cognoscere de subditis suffraganeo- rum suorum, & eorum excessus emendare, quan- to magis in Conciliis cum Episcopis suffraganeis ad audiendas similes causas convocatis. Nec ob- stat quod dicebamus, posse Episcopos, vel Ar-chiepiscopos, dum visitant Dioceses proprias, eas causas decidere, ac terminare; nam sunt plura negotia, quæ ob eorum gravitatem debent tractari, & decidi in conventu Episcoporum compro- vincialium, præcipue quia leges pro restauranda Ecclesiæ disciplina collapsa, ipsi per se facere non possunt; & in Concilio Provinciali utiles, & salubres Canones ad id eduntur, & aliqua statuun- tur, quæ in minori conventu definiri non valent, ut supra retuli; & ita valde necessaria, ut illa quæ in Ecclesia esse Concilia hæc latè probat Coriola- nus in prælud. ad summam in Concil.

10. Dissol- vitur dubi- tas ratio.

## C A P U T XXVI.

Gregorius IX. \* Archiepiscopo, & Priori, S. Maria Rothomagensis.

OLim I. V. & P. Ordinis Tironensis. Et infra: Ne igitur reformatio Monasterii valeat retardari, mandamus quatenus relaxatis excommunicationum, seu sus- pensionum sententiis, si quas idem Abbas protulerit, vel per quoscunque iudices promulgari fecit, post inceptum negotium in eos, & adhaerentes eisdem, ac eis re- stitutis, quos idem Abbas negotio pendente contra iustitiam spoliavit, in negotio de plano, & absque iudiciorum strepitu procedentes (cum talibus maximè in hoc casu non deceat Dei servos involvi) inquiratis, quæ circa personas, & observantias re- gulares videritis inquirenda: corrigentes, & reformantes, tam in capite, quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio noveritis indigere: juramentis, si qua de tacenda veritate Abbas extorserit, relaxatis, provisò, ut negotio ipso pen- dente præfati Monachi eidem Abbati obediant, & intendant; ita tamen, quod per hoc prosecutione negotii non valeat impediri. Si verò testes contra eundem Abbatem producti fuerint, dictorum ipsorum ei copiam dari faciatis. Prædictis autem Mona- chis expensas factas propter hoc, & tribus, vel quatuor ex istis, vel aliis, quos ido- neos ad dictum negotium prosecutionem duxeritis assumendos, faciatis de bonis ejus- dem Monasterii; & faciendas expensas ad prosecutionem ipsius negotii necessarias, computatis, si qua propter hoc receperunt de bonis monasterii, cum proprium non habeant, a ministrari: contradictores, &c.

NOTÆ.

NOTÆ.

<sup>a</sup> **A**rchiepiscopo.] Mauricio videlicet, qui antea fuerat Saiensis Episcopus, & postea Cenomanensis, & tandem decessit Rothomagensis anno 1232. ut refert Chenu in serie Præfulum ipsius Ecclesie.

<sup>b</sup> **P**riore sanctæ Mariæ.] In ipsa urbe Rothomag. est monasterium canonicorum regularium sanctæ Mariæ, Ordinis D. Augustini, de quo Pennotus lib. 2. canonic. regul. cap. 34. num. 18. cujus Priori in præfenti rescribit Gregorius.

<sup>c</sup> **Tiron.**] Alibi legitur *Tiron*. alibi *Cisterc.* ut emendat Glossa marginalis: & legendum credo *Tironensis*. Tironense enim monasterium est Ordinis Cisterciensis, de cujus reformatione scripsit epistolam 31. Gregorius IX. in hæc verba: *Quatenus advocatis universis Abbatibus, & Prioribus sibi subjectis, infra festum omnium Sanctorum proxime venturum corrigeret, & reformaret, tam in monasterio Tironensi, quam in membris ipsius, & ceteris ei subjectis.* De eo Manrique tom. 4. annal. Cisterc. anno 1231. cap. 6. num. 9.

<sup>d</sup> **Ministrari.**] Juxta tradita supra in c. ex parte ii.

CAPUT XXVII.

Idem Episcopo a Cisterc. & de Alde, & de b Salen. Abbatibus.

**P**rælatorum excessus. *Et infra*: Sanè dilecti filii C. & quatuor alii Canonici Frisigien. denunciando monstrarunt, quod Frisigien. Episcopus bona sui Episcopatus (quem, ut dicunt, fuit minùs canonicè assequutus) adeò graviter dilapidat, & consumit, quod (nisi celeriter adhibeatur remedium) Episcopatus idem per eum ad irreparabile dissolutionis opprobrium deduceretur: nec solummodo rerum, verùm etiam famæ suæ prodigus, & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam. *Et infra*: Discr. v. mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, inquiratis sollicitè veritatem, & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam. Eidem Episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet pro meritis recepturus: potestate <sup>d</sup> vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodo libet alienandi bona ipsius Ecclesie, interim eidem penitus interdicta.

NOTÆ.

<sup>a</sup> **Cisterc.**] Rectè in margine ostendatur *Cisterc.* cum in præfenti scribat Gregorius Cistrensi Episcopo, de qua diocesi egit in c. 2. de corpore vitiat.

<sup>b</sup> **Salen.**] Salen, seu Salo Salomonis; vulgò *Salmens Vesler*, celeberrimum Cisterciensis Ordinis cœnobiùm est in Alemania, Constantiensis Dioceseos: primùm à Guntramo Barone constructum anno 1134. deinde à Conrado, & Friderico primo Imperatoribus, & à Burchardo Archiepiscopo Sa-

lisburg. liberalissimè ditatum, ut refert Bucelinus *Germania sacræ part. 2. fol. 78.*

<sup>c</sup> **Frisigien.**] Geraldus videlicet, qui præfuit ipsi Ecclesie per undecim annos, ut refert Bucelinus tom. 1. *German. in serie Episcop. ipsius Ecclesie.*

<sup>d</sup> **Vendendi.**] Etiam cum solemnitate præscripta in cap. nulli, de rebus Ecclesie: nam hoc speciale est in crimine dilapidationis, ut lite adhuc pendente, Prælatus suspectus de dilapidatione ab Ecclesia amoveatur, cap. licet Heli, de simon. probat Bernardus Diaz in praxi, cap. 71.

TITULUS II.

De calumniatoribus.

CAPUT PRIMUM.

Gregorius a Anthemio Subdiacono Campanie.



**U**m fortius punienda sint crimina, quæ in fontibus, & magis sacratis hominibus ingeruntur, quam fitis culpabiles omnes, qui in causa Joannis refedistis, attendite, ut Hilarium criminatorem ipsius nulla ex diffinitione vestra pœna conveniens castigaret. Nec illud ad accusationem vestram credatis esse idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus, solus frater, & Coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viginisset, facilius uni à multis rationabiliter suaderi, quam multi ab uno poterant sine causa deferri. Quia ergo tantæ nequitie malum sine digna non debet ultione transire, supra scriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

F

eundem